



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsqve Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

ra, alioqui majori damno prius occurrendum. *Priore*) Vid. Sylv. *restitutio* 6. § 5.

Restituendum, quantum acceptum est, nam restitutio ad æqualitatem reducit, S. Thom. *q. 62. art. 3.*

Statuta regionum, aut civitatum de ordine restitutionis, contra jus naturale non valent. P. N. *l. 4. c. n. 18.* ex Cajet.

Res.

Vide v. *Accusator.*

S.

Sabbatum.

Vide v. *Decalogus.*

Sacramentum.

Vide v. *Baptismus, Confirmatio, &c.*

Sacramentum est signum sacrum non solum significans, verum etiam infallibiliter efficiens rem sacram, sanctificantem homines.

Sacramentum non est ens rationis, quia vim habet efficiendi & significandi, etiam nullo cogitante intellectu, differtque sacramentum à sacramentalibus, quod illa suo modo præcise, & per se, & ex opere operato non conferant gratiam sacramentum vero ex sua natura infallibiliter producit gratiam in suscipiente, nisi ponatur obex. Differt adhuc sacramentum à sacrificio ut sic, quod sacrificium institutum sit ad indicandum divinam excellentiam, non vero ad sanctificantem. *tom. 1. de Sacramentis in genere, disp. 1. q. 1. punct. 1. n. 1. & seq.*

2. Tripliciter sacramentum dici potest signum, videlicet rememorative, ut passionis; demonstrative, ut gratiæ; & prognostice, ut gloriæ.

De ratione sacramenti est, ut sit signum, similitudine representans id quod significat. *ibid. n. 7. & 8.*

3. Sacramenta novæ legis septem esse docet Concilium Tridentinum; Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucharisti-

charitatem, Pœnitentiam, Exremam unctiōnem, Ordinem, & Matrimonium. Inter hæc ordine necessitatis primum locum tenet Baptismus, deinde Pœnitentia; ordine vero perfectionis, primus locus debetur Eucharistiæ, quia continet Christum veræ sanctitatis auctorem. In statu innocentia non extiterunt sacramenta, iustitia originali tunc sufficienter præstante, quod sacramenta præstitissent; in statu verò naturæ fuerant aliqua sacramenta, sicuti & statu legis scriptæ, videlicet Circumcisio, Sacrificium, Agnus Paschalis, & alia; quæ erant propriè dicta sacramenta, licet difficiliora & imperfectiora sacramentis novæ legis; nec conferebant gratiam ex opere operato, ut patet in Circumcisione. *Ibid. punct. 2. num. 1. & 3. & punct. 3. n. 2. 7. & 9.*

4. Sacramenta non sunt absolute & ex natura rei necessaria ad salutem, quia Deus potuisset alia media ad nostram salutem instituere; supposita tamen Christi institutione sunt necessaria, saltem aliqua, necessitate medi ad salutem, & similiter necessaria necessitate præcepti. *Ibid. punct. 4. num. 2. & seq.*

5. Omnia sacramenta novæ legis constant materia & forma; vel, ut alii loquuntur, rebus & verbis; verbis ut forma, rebus ut materia *Ibid. q. 2. punct. 1. num. 3.*

6. Materia sacramentorum duplex est, proxima scilicet & remota, v. g. in sacramento Baptismi materia remota est aqua, proxima verò ablutio, ut patebit ex dicendis propriis locis, Sacramentorum materia ita determinata est à Christo Domino, ut ab Ecclesia mutari aut variari non possit; ne quidem in ipso sacramento matrimonii formaliter & propriè. Et sicut est determinata materia sacramentorum, ita etiam est determinata forma seu verba; ita ut si verba formaliter seu substantialiter variantur, sacramenta subsistere non possint. Neque loco verborum formæ, possunt adhiberi ritus, aut signa, aut scriptura, cum Christus pro forma sacramentorum instituerit verba, excepto matrimonio, in quo præscripsit id quod requiritur ad humanum contractum, qui celebrari potest iis ritibus & signis, quibus contrahentium consensus & animus sufficienter manifestatur. *Ibid. n. 6. 7. 11. & seq.*

7. Prædictis adde, non solum peccare eum qui utitur in sacramentis conficiendis forma dubia; verum etiam, qui utitur forma certa, sed ei aliquid addit vel detrahit; facit enim contra ritum Ecclesiæ in re gravi. *Ibid. num. 32. & 34.*

8. Adde denique iterandam esse formam, seu Sacramentum

iterum esse administrandum, quoties quis advertit se in forma defecisse, aut non rectè protulisse, modo non sit necessitas conficiendi & suscipiendi Sacramentum. *ibid. n. 35.*

9. Res & verba, seu materia & forma, non solum sunt partes intrinsecæ Sacramentorum novæ legis, sed etiam sunt de essentia; tribus enim perficiuntur Sacramenta: rebus, ut materia; verbis, ut forma; cum intentione ministri, ut habet Concilium Florentinum, in decreto unionis. Ad validitatem Sacramenti ubique terrarum sufficit eadem materia & forma in singulis Sacramentis, quæ forma tota & integra proferenda est ab uno & eodem ministro. *ibid. punct. 2. num. 3. & punct. 3. n. 1. & punct. 4. n. 1.*

10. Omnia Sacramenta fuisse à Christo instituta per potestatem excellentiæ, patet ex definitione Trident. *sess. 7. can. 7.* quam potestatem instituendi Sacramenta potuit communicare Apostolis, vel Ecclesiæ, quod tamen non fecit; tum ne plura essent capita in Ecclesia, tum ne homines ponerent spem suam in hominibus. *ibid. q. 3. punct. 1. num. 5. & seq.*

11. Quod ad causam ministerialem Sacramentorum attinet, solum homo de potentia Dei ordinaria, est minister necessarius & sufficiens, quamvis Angeli ex divina dispensatione possint esse ministri Sacramentorum, ipsique dæmones de potentia Dei absoluta possint in assumpto corpore valide baptizare de mandato Dei. *ibid. num. 8. & seq.*

12. Quæ verò conditiones requiruntur in ministro Sacramentorum, patet ex dictis de singulis Sacramentis; nunc sufficiat dicere, ad validè conficiendum Sacramentum requiri necessario in ministro intentionem faciendi quod intendit Ecclesia, vel quod Christus instituit. Per intentionem, intelligi virtuales, non autem habituales, quæ non sufficit, sicut nec habitualis attentio; sed est necessaria virtualis, aut actualis. *ibid. punct. 2. §. 3. num. 5. 8. & 11.*

13. Nec refert, quod intentio sit conditionata: Sacramentum enim administratum sub conditione de præsentem, vel de præterito, validum est, si res ita sit sicut exprimitur in conditione: secus dicendum de Sacramento sub conditione de futuro administrato, quod non est validum, excepto matrimonio, de quo suo loco. *ibid. num. 18. & 19.*

14. Omnia Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato, ut patet ex Trident. *sess. 7. can. 8. 9.* temperque gratia confertur ea suscipienti, nisi ponat obicem, id est, nisi

Sacramenta suscipiat sine dispositionibus debitis, aut cum peccato mortali actualiter tunc commissio; neque Sacramenta solum conferunt gratiam justificantem, verum etiam gratiam virtutum, seu donorum, & gratiam sacramentalem. *Ibid.*

4.4 punct. 1. n. 2. 5. & 6.

15. Baptismus & poenitentia ex sua institutione conferunt primam gratiam, id est, eam, quæ nullam aliam supponit in subiecto, reliqua verò Sacramenta instituta sunt ad augendam gratiam, & supponunt suscipientem constitutum in gratia, nec conferunt primam gratiam primario, & per se. *Ibid. punct. 1. num. 1.*

16. Dispositio requisita in suscipiente Sacramenta duplex est, una in intellectu, ut fides; altera in voluntate consistit, ut attritio; & qui recipiunt Sacramenta ejusdem speciei cum æquali dispositione, recipiunt æqualem gratiam: non nego tamen, quin Deus possit æqualiter disposito majorem gratiam conferre, sed talis excessus gratiæ non erit effectus Sacramenti, sed donum à Deo gratis & liberaliter datum. *Ibid. n. 4 & punct. 3 num. 1.*

17. Recipientes Sacramenta ejusdem rationis cum inæquali dispositione, inæqualem gratiam recipiunt, quæ inæqualitas gratiæ non causatur à meliori ministro, quia gratia non confertur ob meritum ministri, sed ob merita Christi, quæ non minuuntur ob indignitatem, & improbitatem ministri. *Ibid. punct. 3. n. 2. & punct. 4. n. 1.*

18. Gratia quæ confertur in sacramentis non est diversa essentialiter, sed est ejusdem speciei in omnibus sacramentis: verum tamen est gratiam sacramentorum esse diversam accidentaliter. *Ibid. punct. 5. n. 1.*

19. Difficultas est quomodo sacramenta conferant, vel producant gratiam, moraliterne scilicet, an physicè? Dicendum sacramenta non modo esse causam moralem instrumentalis gratiæ, verum etiam causam physicam verè producentem ipsam gratiam immediatè, non enim implicat, Deum uti creatura ad aliquid supernaturale, & ad faciendum id quod ipsa creatura viribus naturæ facere non potest, ut patet in Christi humanitate, quæ fuit instrumentum physicum efficiendi gratiam & miracula. *Ibid. punct. 6. n. 3.*

20. Quæres, quo tempore sacramenta conferant gratiam? Resp. quando sunt in esse completo sacramenti, v. g. Baptismus causat gratiam in eo instanti, in quo ablutio & prolatio

ver-

verborum gignit perfectum sensum, & sic de reliquis sacramentis *Ibid. punct. 7. n. 1. & seq.*

21. Secundarius sacramentorum (saltem horum, Baptismi scilicet, Confirmationis, & Ordinis) effectus est character, siue qualitas spiritualis animæ divinitus infusæ, qua homo redditur aptus ad sacramenta suscipienda, vel administranda, & ad alia divini cultus opera: quem characterem sacramenta veteris legis conferebant. *Ibid. q. 5. punct. 1. num. 2. & seq. punct. 2. n. 1.*

22. Character semel susceptus semper durat & permanet: unde fit, ut Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis non sint iterabilia. *Ibid. punct. 3. n. 4. & 5.*

23. Subjectum sacramentorum capax, nullum datur præter hominem in hac mortali vita degentem; qui non semper tam est capax omnium sacramentorum, ut patet in femina, quæ est incapax Ordinis, Hermaphrodito, & similibus. *Ibid. q. 6. punct. 1. num. 1. & 5.*

24. Angeli, utpote spirituales, sunt incapaces sacramenti, quod in rebus materialibus consistit; secus dicendum de beatis, qui de potentia Dei absoluta possunt recipere sacramentum, cum id non implicet contradictionem. *Ibid. n. 2. & 3.*

25. Mus comedens hostiam, aut equus hauriens aquam Baptismi, non dicuntur idcirco sacramenti capaces, cum non permanent ut sacramentum. *Ibid. num. 4.*

26. Præterea in homine adulto recipiente sacramenta, requiritur debita intentio (saltem habitualis) suscipiendi sacramentum, sicut & in ministro requiritur intentio conficiendi sacramenta. Hinc deducitur eum non recipere sacramentum, qui habuit voluntatem numquam recipiendi sacramenta, & postea illa suscepit in amentia, antequam alio modo revocaverit dictam voluntatem; aut qui sacramentum accepit cum intentione neutrali, ut patet ex dictis, verb. *Baptismus. Ibid. punct. 2. num. 1. 5. & 7.*

26. In pueris rationis usu carentibus, non requiritur intentio sacramentorum, cum non possint actum voluntatis elicere. *Ibid. num. 2.*

28. Præter intentionem in adulto recipiente sacramenta, requiritur talis dispositio, qua recipiens sacramentum ita disponatur, ut sit capax saltem principalis effectus, seu gratiæ. *Ibid. n. 10.*

29. Qui accepit aliquod sacramentum cum fictione

quia deficit intentio) sublata illa fictione, & mutata voluntate non recipit effectum; secus dicendum de eo, qui recipit poenitentiae sacramentum, praetermissa inculpabiliter attritione, & dolore requisito ad fructum sacramenti, sublata enim fictione, id est, posita attritione, consequitur effectum sacramenti & gratiam respondentem sacramento praeterito. *Ibid. punct. 3. n. 2. 3. & 4.*

30. Non sunt administranda sacramenta peccatori publico indigne petenti, neque graviter suspecto de gravi crimine: secus dicendum de peccatore occulto, si petat publice, & repelli non possit sine scandalo & infamia. *Ibid. punct. 4. num. 2. & seq.*

31. Nomine *publici peccatoris*, intellige Histrionem, qui comedias turpes publice repraesentat; arcendus est enim a sacramentis, donec illam artem deserat. Idem dic de usurario publico & notorio: potest tamen Sacerdos peccatori publico, ob metum administrare sacramenta, neque potest huiusmodi peccatori hostiam non consecratam praebere. *Ibid. num. 7. 9. 14. & 15.*

32. Sicut non licet administrare sacramenta indigne petenti, ita neque recipere sacramenta extra necessitatem a ministro administrato in peccato gravi; in necessitate vero licitum est sacramenta petere a quocumque Sacerdote peccatore, neque tenetur qui vult recipere sacramenta ab aliquo Sacerdote, inquirere an Sacerdos sit probus, & ab ea ministraturus sit in peccato. *Ibid. punct. 5. num. 1. 2. & 5.*

33. Sacramenta nec licite nec valide administrantur sine ritu essentiali; quandoquidem ritus essentialis consistat in materia, forma, & debita intentione ministri. Administrantur tamen valide, sed non licite, sine ritu accidentali, quos ritus accidentales variare, est peccatum mortale ex suo genere, quamvis levitas materiae possit a mortali excusare. *Ibid. q. ult. punct. unic. num. 1. & seq.*

A D D I T I O.

Quaeres: Sithe necessaria fides in ministerio sacramentorum. Resp. Non esse necessariam. 1. Quia i. a definitum est in Concilio Nicæno I. teste Aug. & Hieron. Ratio: Quia minister nihil facit in sacramento nisi virtute divina *Ioan. 1. Ipse est, qui baptizat in virtute spiritus*. E. auctoritas conferens sacramenta, data est in utilitatem aliorum. E. non debet auferri culpa alterius. Haec Busæus.

Qua-

Quæres: An sit necessaria intentio in ministro? Pro intelligentia nota duplicem esse intentionem, unam faciendi tantum actum externum sacramenti, ut abluendi puerum aqua, alteram faciendi præterea quod facit Ecclesia, & Christus instituit. Catharin. *in opusc. de intention. mix.* putat priorem intentionem, tantum esse necessariam, & hanc Palud. putat esse probabiliorē. Sed contraria sententia est communis Doct. utramque esse necessariam, quod jam est de fide. Prob. 1. Quia Concil. Trident. *sess. 7. can. 11.* expresse definit, requiri intentionem faciendi id quod facit Ecclesia. 2. quia minister sacramenti est agens liberum, & ratione præditum: at de ratione agentis liberi est, ut prævia intentione operetur. 3. verba illa sacramenti possunt variè significare, v. g. ego te baptizo, id est abluo, ut refrigerationem, humectationem, purgationem à sordibus. E. intentione ministri debent determinari ad significandam purgationem à peccatis. Hæc Busæus.

Quæres: An in ministro necessaria sit probitas, ut conficiat sacramentum. Olim Donatistæ negabant, posse peccatores conficere sacramentum. Apostolici, verò, Albigenses, & Waldenses negarunt etiam occultos peccatores conficere posse sacramentum. Verum de fide certum est, non esse necessariam probitatem. Et probatur. Quia Judas licet peccator & reprobus, tamen verè baptizabat, teste Aug. *5. tract. in Ioan. 2.* Quia minister sacramentorum non operatur virtute propria, sed ut instrumentum, virtute aliena Dei & Christi, ergo ejus malitia non potest impedire effectum sacramenti. 3. Probatur similibus, quibus utitur Aug. ut aquæ, quæ æquè pura per lapideum quam argenteum canalem derivatur: boni seminis, quod æquè sordidis ac puris manibus plantatur. Hinc sequitur, etiam excommunicatos, schismaticos, apostatas, vera conferre & conficere sacramenta, si sunt Episcopi, vel Sacerdotes, excepto uno pœnitentiæ sacramento, quia hoc requirit jurisdictionem, quæ per excommunicationem ei est sublata. Busæus.

Quæres: An liceat accipere sacramenta à ministris malis. Pro solutione nota, ministros dupliciter se posse habere, 1. ut sunt parochi, vel prælati proprii, qui tenentur suis subditis ministrare sacramenta; vel ut non sunt tales, sed tantum simpliciter sacerdotes. 2. ut sint ad ea administranda parati, vel non. Respond. ergo 1. A ministro malo parato ad administrandum sacramentum, licitum esse illud accipere, siue sit extrema necessitas, siue non. Ita habetur *13. q. 8. in c. suscitantis. c. 1. q. 1. can.*

*can. per Esniam, & ex Concil. Constant. sess. 10. Resp. 2. ministri-
firum malum si sit parochus, etiam imparatum posse induci
ad administrandum sacramentum, ut Cajet. & alii docent. Re-
spond. 3. In extrema necessitate posse etiam induci ministrum
non parochum, maximè autem in Baptismo, & confessione.
Pater, quia in extrema necessitate non est verisimile, Deum
nos obligasse ad Parochum. Hinc sequitur tandem, mortali-
ter peccari, quando quis extra necessitatem inducit ministrum
non parochum, ad sacramenta administranda.*

*Quæres: An liceat sacramenta accipere à concubinariis mi-
nistris, vel officium Missæ ab iis dictum audire. Pro intelli-
gentia nota ex S. Thom. in 4. d. 13 q. 1. art. ult. & quodlib. 11. a. 2.
Concubinarius sacerdotem vel esse occultum, vel notorium.
Et rursum, notorium posse esse tribus modis, ut indicatur c.
quæsitum, de cohob. cler. & mul. 1. sententia iudicis Ecclesiasti-
ci, 2. spontanea criminis confessione: & utraque notorietas di-
citur juris. 3. evidentia facti, quæ nulla tergiversatione celari
potest. Nota 2. Omnes DD. convenire, quando sacerdos nullo
istorum modorum est notorius, etsi aliquis sit rumor & fama,
non peccare, qui ab eo divina officia audiunt, vel sacramenta
etiam extra necessitatem suscipiunt, ut habetur c. vestra, & c.
quæsitum, l. c. Deinde certum est, si sit notorius vel sententia
iudicis, vel confessione propria in iudicio, non posse ab eo su-
scipi sacramenta, vel divina officia audiri, Id enim prohibetur
in c. nullus d. 32. & c. præter hoc d. 32. & in c. vestrum. & c. sua
nos. tit. de cohob. Et ratio est, quia eo ipso non toleratur ab Ec-
clesia, sed ut omnes fere dicunt, sunt suspensi. Ita S. Thom. l.
c. Dubium autem est, an liceat suscipere sacramenta à concu-
binarius notorius, evidentia facti. Hugo, Archid. Landolph &
alii, volunt requiri monitionem Episcopi, seu prælati. Con-
trarium sequitur Raymund. Joan. Andr. Ostiens. Anton. de
Burr. Panorm. in cap. vestra, & D. Thom. l. c. non requiri mo-
nitionem. Quam sententiam probabiliorem putant Ant. Ta-
bien. Sylv. Fum. Rosell. Et ratio eorum est, quia in *can. iam cis*,
nulla sit mentio monitionis. Addunt tamen Rosell. Tab. &
Fum. c. 29. n. 29. eos, qui probabiliter ignorant legem huma-
nam prohibentem, ne quis missam notorii concubinariï au-
diat, non peccare, quia ignorantia probabilis iuris excusatur.
c. 2. de const. Hæc Busæus.*

ADDI-

A D D I T I O.

Sacra.

Sacræ vestes pollutæ luxuria, iterum benedicendæ. *Sylv. vers. vestis. Graff l. 2. c. 41. n. 7.*

Sacra vendita ad usus profanos, prius dissolvenda, si in formam amittant: quod si lapides sint & ligna dirutæ Ecclesiæ, possunt verti in usum profanum de Episcopi licentia. *Vid. Ang. vers. consecratio vestimentorum.*

Sacra tangi à laicis sine contemptu, non est peccatum mortale. Ita *Sot. d. 13 q. 2. art. 3. ad 3* vid. etiam *Suar. t. 3. 81. sect. 3. c. vestimenta. c. in sancta. d. 1. Graff. p. 1. l. 2. c. 41. n. 7.*

Sacra vetustate consumpta, comburenda, & cineres in Ecclesia reponendi, ligna tamen & lapides possunt servire loco religioso, honesto. *c. altaris. de consecr. d. 1.*

Sacra vasa & vestimenta habere enormiter immunda, mortale est, & iis qui habent, & prælatis qui non provident. *Sylv. vasa sacra.*

Sacerdicitur locus, cum est benedictione deputatus ad officia divina, aut sepulturam. *Vid. Sot. 32. q. 1. art. 3. Azor. l. 9. c. 27. q. 5.*

Sacrilegium.

Vid. v. Immunitas, Suspendio.

1. Sacrilegium est violatio rei sacræ, v. g. sacramentorum, vestium sacrarum, &c. vel personæ Ecclesiasticæ, vel locorum auctoritate Episcopi consecratorum. Ex quo fit ut sacrilegium committat qui abutitur verbis & sententiis sacræ Scripturæ ad superstitiones, vel ad ridicula. Tangens quoque imagines ex contemptu, vel eas indecore pingens, vel irreverenter tractans, committit sacrilegium. Idem dic de abutente vasis, vestibus sacris, vel injuriam inferente sacramentis. Item effringentes & spoliantes loca sacra, committunt sacrilegium, & excommunicationem ipso facto incurrunt. Adverte tamen ad incurrendam dictam excommunicationem requiri, ut eodem tempore concurrat effractio & spoliatio loci sacri: neque incurritur ab eo qui effringit Sacristiam disjunctam ab Ecclesia. Est reservata Papæ, sed tantum post denuntiationem. *tom. 2. c. 114.*

Decalogi præceptum, disp. 3 q. 6. punct. unic. n. 1. & seq.

2. Placita iudicum & ministrorum regularium exercita in Ecclesiis vel cœmeteriis, valida non sunt: imò Episcopus ali- que Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes concedere nequeunt iudici sæculari facultatem exercendi actus iudicia- les in Ecclesiis, neque examinandi reum in loco sacro, *ib. num. 17. 18. & 20.*

3. Committitur sacrilegium per effusionem seminis vel sanguinis, & per extractionem personæ è loco sacro præterquam in casibus paulò post afferendis. *Ibid. nu. 21. & 22.*

4. Per quodcumque furtum in Ecclesia commissum, siue res sit sacra, siue non, siue quocumque modo custodita, &c. committitur sacrilegium: secus si furtum fiat contra Eccle- siam, modo res non sit Ecclesiæ. *Ibid. n. 23.*

5. Existens in Ecclesia cum animo furandi, fornicandi, occi- dendì, &c. non committit sacrilegium, modò non intendat hæc facere in eadem Ecclesia. *ib. n. 24.*

Sacrilegium in materia luxuria.

6. Sacrilegium est peccatum luxuriæ, quo res sacra viola- tur, siue res illa sit persona Deo dicata per votum, siue sit lo- cus consecratus, siue sit alia res sacra. Hinc fit, ut committat sacrilegium qui copulam habet, aut desiderat habere cum moniali. Similiter religiosus aut sacris initiatus, patrans ali- quod luxuriæ peccatum, committit sacrilegium: & etiam is, qui exercet aliquem actum luxuriosum circa rem sacram. *10. de iis, qua pertinent ad usum matrim. qu. 4. punct. ult. num. 1. & seq.*

7. Non est sacrilegium copulam habere cum femina ha- bente sacras reliquias ad collum, secus dicendum, si tradan- turres sacre pro copula, aut copula habeatur in loco sacro absque necessitate. *Ibid. num. 5. & 6.*

8. Concupiscere feminam existentem in Ecclesia, vel in ea delectari, non est speciale sacrilegium, quia non violatur di- rectè locus sacer, nisi concupiscens haberet intentionem ha- bendi copulam in loco sacro. Præterea inspectiones, verba turpia, & tactus impudici facti in Ecclesia non sunt sacrile- gium; modo periculum pollutionis non habeant adjunctum. *Ibid. num. 7. & 8.*

9. Nōmine loci sacri, in hac materia intelligitur Ecclesia

consecrata, vel benedicta, cœmeteria, & oratoria constituta auctoritate Episcopi, & deputata ad divinum cultum. Hinc collige, copulam habitam in Ecclesia auctoritate Episcopi destructa, non habere malitiam sacrilegi; non enim est locus sacer. *Ibid. num. 9. & 10.*

10. Locus sacer in Ecclesia vocatur spatium illud quod spectat ad interius corpus Ecclesiæ a testæ interiori usque ad pavimentum. Quare non violatur locus sacer, quando copula habetur supra testam Ecclesiæ, aut extra parietes, modo non inserviant pro muro cœmeterii: aut quando habetur in aliquo loco subterraneo Ecclesiæ, qui tamen non sit sepultura: aut in campanili: aut extra limen Ecclesiæ: aut in Ecclesia diruta quæ non est amplius Ecclesia. Committitur sacrilegium quando copula habetur in Capella de novo addita Ecclesiæ, quia pars addita sit unum corpus cum priori; consequenter gaudet illius privilegii. *Ibid. num. 11. & seq.*

11. Ecclesia polluitur per voluntariam feminis aut sanguinis humani effusionem injuriosam in ea, aut quando dicitur causa naturalis talis effusionis aut mortis. Polluta Ecclesia censetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum. *Ibid. num. 19. 20. & 21.*

12. Polluitur etiam Ecclesia, quando benedicitur vel consecratur ab Episcopo excommunicato publico; aut quando in ea sepelitur paganus aut infidelis; aut quando parietes Ecclesiæ major ex parte ita destruuntur, ut Ecclesia reedificari debeat. Quando inter celebrandum Ecclesia violatur, debet Sacerdos intermittere sacrum inchoatum, si nondum inchoatus est Canon; si vero inchoatus sit, debet sacrificium perficere. *Ibid. n. 22. & seq.*

13. Celebrans in Ecclesia polluta ab eo die quo delictum in ea commissum publicatum fuit, incurrit suspensionem. *Ibid. num. 26.*

14. Probabile est unum tantummodo sacrilegii peccatum ab eo patrari, qui cum sit simul Sacerdos & religiosus professus, committit nihilominus aliquod luxuriæ scelus. Idem dicitur potest de femina copulam habente cum Sacerdote religioso professo. Quare pœnitens accusans se de copula, satisfaciet dicendo in confessione se esse religiosum vel Sacerdotem, vel habuisse copulam cum Sacerdote. *Ibid. n. 28. & 29.*

Satisfactio.

Et quomodo injungenda à Confessario.

1. Satisfactio est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus & laboriosis taxatis à Confessario Satisfactio à Confessario imposita non semper remittit omnem pœnam peccatis debitam; cum ipse Confessarius non cognoscat quanta pœna peccatis debeat: estque validum sacramentum pœnitentiæ, etiam si (præcisa tamen malitia pœnitentis) Confessarius nullam pœnitentiam injungat, cum satisfactionis injunctio non sit pars essentialis sacramenti: tenetur tamen Confessarius, per se loquendo pœnitentiam seu satisfactionem convenientem injungere quantum fieri poterit, pro qualitate criminum, nisi forte pœnitens infirmus esset, ac morti proximus. *tom. I. de Pœnitentiæ Sacramento, diff. 5. quest. 5. sect. 3. punct. 1. n. 1. & seq. & punct. 2. n. 1. & seq.*

2. Non est injungenda pœnitentiâ, quando Confessarius a deo contritum videt pœnitentem: ut credat in egre Deo satisfecisse. Quæ doctrina extendenda est etiam ad scrupulosum, frequenter intra eandem horam accedentem ad Confessarium. *Ibid punct. 2 n. 3. & 4.*

3. An possit absolvi pœnitens nulla injuncta pœnitentiâ, quando probabiliter creditur nullam acceptaturus, dissentiant Doctores; videturque talis ind gnus beneficio absolutionis. *ib. num. 5.*

4. Confessarius tenetur satisfactionem injungere, & non quidem per modum consilii, sed prout necesse judicaverit, potest illam sub disunctione præcipere. Advertat tamen Confessarius ut opus quod in satisfactionem injungitur, sit opus bonum pœnale, qualia sunt ora iô, jejunium, elemosina, & similia quæ ad illa revocantur. *Ibid. num. 6 & seq.*

5. Meditationes, & opus aliâs præceptum, injungi possunt in satisfactionem: imponens tamen pœnitentiam, & nihil aliud exprimens, non censetur injungere opus aliâs debitum ex præcepto. v. g. is cui injunctum est jejunium, non satisfacit pœnitentiæ jejunando eo die quo tenetur ex Ecclesiæ præcepto jejunare. *Ibid. num. 10 & seq.*

6. Non solum injungi possunt opera pœnalia in particula.

ri, velùm etiam in generalibus; sicuti & pro peccatis publicis pœnitentiæ publica, non autem pro occultis, ne periculo exposturatur fama pœnitentis absque sufficienti causa. *Ibid. n. 13. & 14.*

7. Confessarius potest magis contrito leviozem pœnitentiam injungere, sicuti etiam & homini fragili & debili iuxta ipsius fragilitatem; & tempore Jubilæi aut indulgentiarum injungens tamen levissimas pœnas pro mortalibus teneat pœnitentem admonere de levissima, & non sufficienti pœna illi imposita. Ideo autem mitior pœnitentia injungi solet, ne pœnitens gravitate pœnæ terreatur, sed potius levitate pœnitentiæ alliciatur ad sacramentum. *Ibid. n. 16. & seq.*

8. Confessarius, per se loquendo, potest satisfactionem injungere, tam ante quam post absolutionem sacramentalem non potest autem pœnitentem obligare ad satisfactionem adimplendam ante absolutionem, si pœnitentia consideretur ut est compensatio pro pœna temporali; secus dicendum si consideretur ut medicina. Neque si pœnitentia adimpleatur ante absolutionem, sacramentum statim non habet suum effectum ex opere operato, cum sacramentum non producat suum effectum, nisi sit perfectum: non est autem perfectum ante sacramentalem absolutionem. *Ib. n. 19. & seq.*

9. Confessarius ex justa & rationabili causa potest in confessione diminuire & commutare pœnitentiam à se, vel à alio Confessario inferiori, vel æquali, vel etiam Superiori injunctam, quando id postulat bonum animarum: imò vobis potest etiam pœnitentiam præservativam in aliam præservativam & salutarem iuxta & rationabili de causa commutare.

Similiter carens facultate absolvendi à reservatis, potest pœnitentiam pro reservatis à Superiore impositam, iuxta interveniente causa commutare. Hæ tamen supradictæ pœnitentiæ commutationes extra confessionem fieri non possunt. *Ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

10. Pœnitens oblitus totius pœnitentiæ aliàs injunctæ tenetur saltem præcipua peccata iterum confiteri, ut congruam commutationem obtineat. Imò sunt qui velint cum qui omnino oblitus pœnitentiæ, teneri iterum confiteri ad servandam integritatem sacramenti, nec potest aliam quam ipse voluerit pœnitentiam ex arbitrio suo adimplere; aut in æquale, aut in melius commutare: liberum tamen erit pœnitenti facta commutatione pœnitentiæ, quam voluerit eligere. *Ib. n. 8. & seq.*

seq.

Pœni-

*Pœnitentis obligatio circa pœnitentiam acceptandam
& adimplendam.*

11. Pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem, & humana fragilitati accommodatam acceptare, acceptatamque adimplere. Quod si pœnitentia gravis & rigorosa sit, poterit rogare Confessarium ut eam mitiget & minuat: qui si nolit mitigare, poterit pœnitens alium Confessarium adire. *Ib. punct. 4. n. 1. 2. & 3.*

12. Non solum peccat mortaliter pœnitens non adimplendo pœnitentiam, sed peccat etiam non adimplendo intra tempus præfixum à Confessario; quia facit contra obligationem in re gravi. Quod si nullus terminus præfixus sit, tenetur adimplere quam primum commodè potest: & quidem in statu gratiæ; alioqui peccat, quamvis injunctæ à Confessario pœnitentiæ satisfaciatur etiam in statu peccati. *Ib. n. 4. & seq. item n. 15.*

13. Si pœnitens re ipsa suscipiat indulgentiam respondentem satisfactioni pro pœnis debitæ, satisfaciatur injunctæ. Cessat item obligatio pœnitentiæ, quatenus est satisfactio, non solum per indulgentias, verum etiam per remissionem pœnæ alia via obtentam, ut per alia pia opera satisfactoria propria, vel aliena sibi applicata; ratio tamen remittendæ sunt pœnitentiæ sacramentales ob susceptionem indulgentiarum, vel ob alia pia opera *Ibid. n. 7. & 8.*

14. Satisfactio injuncta à Confessario non potest per alium adimpleri, sed per ipsummet pœnitentem adimplenda est, nisi Confessarius aliud expresserit: nam obligatio pœnitentiæ est personalis; secus dicendum, si pœnitens nequeat per se ipsum adimplere pœnitentiam, & pœnitentia non consistat in actione personali, sed in illis operibus quæ per alium tamquàm per merum instrumentum fieri possunt. *Ibid. num. 11. & 12.*

15. Qui non potest satisfactionem per se ipsum adimplere, contineatur eam per alium adimplere *Ib. n. 13.*

16. Pœnitentia in peccato facta non remittit pœnam durante statu mortalis peccati, quia peccatum mortale nondum remissum, est obex; quo sublato pœnitentia in mortalitate, prodest: & in eo differt pœnitentia sacramentalis à reliquis operibus in statu peccati mortalis factis, quod hæc sint mortua, & non reviviscant. *Ib. n. 16. & seq.*

Sacramenti pœnitentiæ effectus.

17. Pœnitentiæ effectus sunt remissio peccatorum mortali-
lium & venialium, irrevocabilitas peccatorum, recuperatio
virtutum, meritorum & gratiæ; ac obligatio sigilli, *ib. q. 6.*

18. Pœnitentia delet peccata mortalia licet gravissima, &
plurima, toties quoties homo peccaverit, & legitime pœni-
tentiam susceperit, potestque homo à peccatis semper relin-
gere: neque datur certus peccatorum cumulus, quoposito
nequeat homo à peccatis resurgere. *Ib. q. 6. sect. 2. punct. 2. n. 1.*
& seq.

19. Pœnitentiæ sacramentum nequit unum peccatum
mortale sine alio remittere; alioqui posset quis esse amicus
Dei, & ejus inimicus. *Ibid. punct. 3.*

20. Remisso peccato mortali quoad culpam, necesse est de
potentia Dei ordinaria remitti etiam reatum pœnæ æternæ,
ut patet ex Trident. *sess. 6. c. 14.* sed non semper remittitur to-
tus reatus pœnæ temporalis, qui reatus aliquando est major,
aliquando minor juxta majorem vel minorem contritionem.
Ibid. punct. 4. n. 1. & 2.

21. Datur sacramentum pœnitentiæ informe (id est sine
gratia & charitate) defectu attritionis; qua posita, sacramen-
tum confert suum effectum, sublato scilicet obice seu fictio-
ne; sufficitque attritio ut sacramentum præcedens informe
conferat suum effectum, si tamen post susceptum pœnitenti-
æ sacramentum informe, nullum aliud de novo commissum
est peccatum mortale: tunc enim requireretur contritio, vel
novum pœnitentiæ sacramentum formatum. *Ibid. punct. 5.*
n. 3. & seq.

22. Omnia peccata venialia remittuntur per sacramentum
pœnitentiæ, nisi ponatur obex. Remittuntur etiam ex opere
operantis peccata venialia per sacramentalia, quæ sunt hoc
carmine contenta:

Orans unctus, edens, confessio, dans, benedicens.
Ibid. sect. 2. punct. 1. & punct. 2.

23. Peccata venialia non solum delentur per contritionem
formalem, verum etiam per dilectionem, seu amorem Dei
perfectum, qui sit impossibilis cum ipsis peccatis veniali-
bus. *Ibid. punct. 5. num. 3.*

24. Per nullos alios actus peccata venialia remittuntur ex-
tra

tra sacramentum, quam per actus contritionis & dilectioni.
 25. Unum peccatum veniale remitti potest sine alio, si a-

ctus amoris non sit ita perfectus, ut habeat oppositionem
 cum omnibus peccata mortalia similiter remitti possunt abs-
 que remissione peccatorum venialium, quia non omnis di-
 positio sufficiens ad remissionem peccatorum mortalium,
 sufficit ad remissionem venialium: secus dicendum de veniali-
 bus, quæ non possunt de potentia Dei ordinaria remitti sine
 remissione peccatorum mortalium *ib punct. 4. n. 2. 3. 4.*

26. Quamvis remissio venialium in hac vita numquam fiat
 sine infusione vel augmento gratiæ habitualis, tamen ad il-
 lorum remissionem non requiritur per se formaliter gratia
 quæ illa expellat. *ibid. num. 5. & 6.*

27. Peccata ita delentur per poenitentiam, ut de lege ordi-
 naria non redeant, nec etiam redire possint de potentia Dei
 absoluta etiam si nova peccata multiplicentur: nam si revivi-
 scerent, id fieret miraculum, cum idem numero effectus non
 possit in ipsis naturæ reparari & reproduci: sed non fit mira-
 culose; alioqui reviviscantia peccatorum tribuenda esset
 principaliter Deo, quod dici non potest. *ibid. sect. 3. punct. 1.*
num. 1.

28. Peccata commissa post præcedentia remissa, graviora
 sunt ratione ingratiitudinis peccatis antea remissa. *ibid. punct.*
2. n. 4.

29. Peccata prius remissa non redeunt, nec etiam redire
 possunt de potentia Dei ordinaria, quoad reatum poenæ per
 subsequens peccatum: quamvis aliquo modo, ratione scilicet
 majoris ingratiitudinis, dici possunt redire, tamen in se forma-
 liter non redeunt quoad reatum poenæ per subsequens pec-
 catum. Ratio est, quia reatus poenæ sequitur culpam, sed cul-
 pa non redit in se formaliter, ergo, &c. *ibid. punct. 3. n. 1.*

30. Peccata non ita delentur per poenitentiam, quia reatus
 peccatorum præcedentium de potentia Dei absoluta redire
 possit per subsequens peccatum: cum peccata possint remitti
 suo conditione, ut si peccator de novo peccet, redeat idem
 poenæ reatus, ac si peccata remissa non fuissent. *ibid. n. 4.*

Opera per poenitentiam an reviviscant.

31. Opera mortua privative non reviviscunt, nec fiunt me-

ritoria vitæ æternæ per subsequentem pœnitentiam: cum ejusmodi opera non sint facta ab homine existente in gratia. *Ib. sec. 4. punct. 1. n. 2*

32. Opera mortificata per peccatum, valent per subsequentem pœnitentiam ad vitam æternam consequendam: quæ sublata causa, scilicet peccato, cessat effectus, id est, iterum incipiunt valere. *Ibid. n. 3.*

33. Per pœnitentiam non solum recipitur nova gratia, verum etiam restituitur tota gratia præcedens, quæ præcedentibus meritis respondebat. *Ib. punct. 2. n. 4.*

34. Item virtutes infusæ quæ ita connexæ sunt cum gratia, ut simul cum ea amittantur, beneficio pœnitentiæ subsequentis recuperantur, juxta gradum gratiæ respondentem: sunt enim accessorium gratiæ: accessorium autem sequitur principale, nempe gratiam. *Ib. n. 6. & 7.*

A D D I T I O,

Satisfieri posse Deo per pœnitentiam factam in peccato mortali pro peccatis remissis, alii ajunt, alii negant. Illud certum, satisfieri tunc præcepto Confessoris pœnitentiam imponentis, nec esse opus de eo postea confiteri, & probabile illud recedente peccato, valere illam pœnitentiam apud Deum, ut volunt quidam valere indulgentiam, recedente peccato, in quo est accepta. Tres sunt sententiæ de hac re: vide Joan. Med. *quæst. 2. de satisfact. Sylv. satisfactio n. 7. Aiumi Med. l. c. Sylv. dist. 15. Negant*) D Thom. 4. *dist. 15. quæst. 1. art. 3. Bonav. Richar. ead. dist. Alen. 4. p. 85. membr. 1. Cajet. quæst. 2. de satisfact. & v. Satisfactio. Sot. dist. 19. qu. 1. art. 4. concl. 2. Tol. 13. Val. l. c. p. 3. Illud certum*) Tol. l. c. Sylv. *satisfactio num. 4. Fum. eod. n. 5.*

Probabile illud) Cajet. *v. satisfactio. 8. quæst. 2. de satisfact. Navar. cap. 3. num. 3. Tol. l. c. verum Adrian. in 1. quæst. 1. d. satisfact. Sot. l. c. art. 5. Val. l. c. non reviviscere ajunt.*

Potest quis satisfacere per alium de licentia confessoris, etiam secundi, itemque cum non potest per se. An vero qui pro alio satisfacit, possit simul pro se satisfacere, alii ajunt, alii merito negant, Potest unus pro alio satisfacere, si uterque sit in gratia, Sot. l. c. *quæst. 2. art. 4. Tol. Val. l. c. vid. Vival. l. c. num. 12. Syl. l. c. n. 5. Fum. l. c. num. 6. An vero*) vid. Syl. l. c. n. 5.

Potest in pœnitentiam imponi opus alias debitum. Tol. l. c.

Satisfactio, Scandalum.

601

l. 6. Nav. cap. 26. num. 24. Cajet. quest. 1. de satisfact. Sor. l. 6. quest. 2. art. 1. col. penultim. contra Scot. dist. 15. quest. 1. Palud. 16. art. 2. Capriol. Syl. l. c. n. 8.

Qui non fecit poenitentiam tempore praescripto, debet facere alio.

Et si omne opus ex gratia profectum, est satisfactorium, magis tamen ceteris paribus satisfacit, cum pœnale est ex se, vel ex parte complexionis pœnitentis. Vide Val. l. c. col. 5.

Pœnitens dicens aliis impositam poenitentiam, non peccat mortiferè, nisi id grave damnum adferat. Syl. confessio. 1. n. 23. Vival. de satisfact. num. 33.

ADDITIO.

Scandalum.

Scandalum est re mala, vel speciem mali habente, alteri dare peccandi mortaliter occasionem, quod si id intendas, vel ex se res ad id inducat, mortale est. Vide Cajet. *vers. scandalum.* Syl. eod. num. 1. Fum. 16.

Si scandalum oritur ex alterius malitia, non ideo omittendum opus licitum; si verò ex infirmitate, vel ignorantia, differendum est, si differri sine peccato potest. Vide Fum. l. c. n. 2. Syl. l. c. n. 3.

Scandalizatus dicitur populus, si decem graves viri & honesti scandalizantur.

Schisma.

1. Schisma est voluntaria & pertinax subtractio & separatio ab obedientia universalis Ecclesiae, vel Summi Pontificis, qui principem in Ecclesia locum tenet. Hinc habes eum qui se separat ab obedientia sui Prælati, vel Principis, vel particularis Ecclesiae seu diœcesis, non esse propriè schismaticum; sed ut quis sit propriè schismaticus, debet esse rebellis formaliter in Papam ut Papa est, seu quatenus est supremus Christi Vicarius, tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. qu. 4. punct. ult. § 5 n. 1. Ep. 2.

2. Schisma est peccatum mortale gravissimum ex suo genere, quod reddi nequit veniale ex parvitate materiae: & si accedat error intellectus, aut contemptus specialis, continet mali-

malitiam specialis inobedientiæ: aut hæresis. *Ib. n. 11. & seq.*

3. Schismatici privantur jurisdictione, saltem postquam denominati fuerunt tales; excommunicantur ipso facto statim ac schisma factis, aut verbis, aut alio signo externo manifestant; incurrunt pœnam inhabilitatis ad beneficia; non tamen incurrunt ipso facto privationem beneficiorum priorum adeptorum præciso alio delicto; neque irregularitatem quamdiu delictum non sit notorium. *Ib. n. 7. & seqq.*

4. Suscipiens ordines à schismatico, saltem denunciato, incurrit suspensionem ab usu ordinum ab eo susceptorum: suscipiens autem beneficia vel dignitatem, privandus est beneficio vel dignitate Ecclesiastica *Ibid. n. 13.*

Scripturae.

Vide v. *Peccatum.*

Secretum.

Vide v. *Detractio, Restitutio.*

1. Revelans secretum, cujus revelatio redundat in alterius grave damnum vel injuriam, mortaliter peccat, præsertim si commissum fuit ei secretum sub sigillo. Revelare tamen uni vel duobus qui illud celabunt, non videtur peccatum mortale, nisi id quod detegitur, vergat in infamiam aut grave detrimentum alterius; aut modò non detegatur illi cui certo vel probabiliter creditur eum, qui secretum commisit, voluisse celari. *tom 2. de restitutione in particulari, disp. 2. quasi. 2. puncti. unio n. 1. & 2.*

2. Qui aperit secretum magni momenti, quod credebatur esse parvi momenti, non videtur peccare mortaliter, modò adhibeant debitam diligentiam ad cognoscendum num secretum esset magni momenti. *Ib. n. 3.*

3. Violans secretum absque justa causa cum alterius detrimento, tenetur ad restitutionem; censetur enim causa iniusta damni. Et hoc verum est, etiam quando secretum commissum fuit cum pacto tacito; ut accidit quando quis gratia petendi consilii aliquid manifestat Advocato vel Confessario, &c. intendens secretum celari. Hinc infer, aperientem & le-

gentem litteras sigillo munitas, aut quæ servabantur in secreto loco, mortaliter peccare, si hoc faciat prævidens fore, ut inde aliquod notabile damnum oriatur, secus si id faciat ob curiositatem, causa sciendi nova, aut ridendi ob inelegantem & barbaram compositionem; aut credat adesse interpretativam voluntatem ejus qui scripsit, vel illius ad quem mittitur. Similiter non peccat qui litteras aperit ad proprium periculum præcavendum, quod sibi timet. *ibid. nu. 4. & seq.*

4. Qui novit secretum alterius, non peccat quando vi tormentorum & mortis compellitur ad illud revelandum; habet enim justam causam revelandi, nec tenetur celare secretum cum tanto suo incommodo. Intellige tamen modò ex ea revelatione non oriatur grave damnum publicum, ad quod vitandum quilibet tenetur mortem subire. *ibid. num. 8.*

5. Quando secretum vergit in damnum innocentis, detegendum est, etiamsi promissum sit cum juramento: detegendum est adhuc, quando quis juridicè interrogatur de aliqua re, de qua tenetur loqui & respondere seclusa promissione secreti eo quod alia via scierit. *ibid. num. 9.*

6. Petes, an is cui concreditum est secretum, possit judici interroganti respondere, cum juramento se nihil scire? Potest addita restrictione, *ut illi aperiatur*, vel æquivocatione, non enim potest judex cogere ad manifestandum secretum quod ex obligatione naturali servandum est. Et qui per fraudem vel injuriam extorsit secretum, aut qui novit aliquid ab altero, cui commissum erat sub secreto, tenetur illud servare secretum. Vide verb. *Ludus ibid. num. 10. & 12.*

A D D I T I O.

Sepultura.

Sepulturam sibi eligere potest quisque pubes; quod si non elegit, sepeliendus in sua Ecclesia, peregrinus in parochiali, vel cathedrali, uxor cum viro, spurius cum matre non illustri, naturalis cum patre non in dignitate constituto.

De varijs exequiarum moribus Covar. *cap. ult. de testam.*

De sepultura Val. *l. 3. dist. 3. quæst. 9. p. 2. Navar. l. 3. cons. multis consil.*

De jure sepulchri Mol. *dist. 214.*

De funere Bellarm. *l. 2. c. 2. de purgat. cap. 19. ubi probat funeris*

neris

neris cereorum, hymnorum, & aliorum usum, errores quosdam refellit, explicatque utilitates, quas ex funere tum vinctum defuncti percipiunt. *Sepulturam*) Mol. *l. c. sepultura*, n. 7.

Sepultura non potest impediri prætextu debiti, aut illius obligationis, at potest ex causa negari condemnatis ad mortem. Mol. *dist. 255. col. 2.* Covar. *c. Raynaldus*, §. 3 nu. 2. Mol. *fn. l. c.* imò ante æs alienum funeris impensa deducitur. *ibid.* vid. Sylv. *sepultura* n. 12.

Ossa fidelis à sepultura perpetua non transferenda sine Episcopi licentia.

Episcopus ex causa potest in sepulchro unius alium sepelire, eo invito. Sylv. *l. c.* n. 3.

Jus sepulturæ non datur sine Episcopi consensu, in Ecclesiis ei subjectis.

Abusum quidam dicunt esse sepelire passim in Ecclesia, sed immerito, & in hac re standum consuetudini patriæ. Olim quidem fideles in cœmeterio sepeliebantur, solum excellentes quidam in Ecclesia.

Clerici non obligati alioqui ad officium sepulturæ, possunt pro eo aliquid accipere in sustentationem, vide Sylv. *l. c.* num. 2.

De impensa funeris, æris alieni deductione, familiæ alimentis. Mol. *dist. 235.*

Honoriifice, moderate tamen, humana cadavera sepelire, pius est, propositio est de fide. Bannes 2. 2. *quæst. 32. art. Val. l. c.*

Quartam debitam Parocho solvunt religiosi solum de oblatis die sepulturæ.

A D D I T I O.

SERVUS.

Servus captus in bello etiam iusto, potest fugere, etiam ab eo qui se emit à captivitate, nisi promississet non fugere. Cov. *reg. peccatum*, p. 2. §. 11. n. 7. Val. *l. 3. dist. 39. 16. p. 3. col. ult.* Bannes 2. 2. *quæst. 40. art. 1. dub. ult.* Salon 2. 2. *quæst. 3. art. 1. de dom. p. 116.* addens, si sine vi, & dolo Sor. *l. 4. quæst. 1. art. 2.*

Sed Mol. *dist. 37.* iusto bello captum lehaliter peccare fugiendo, ait, tenerique se domino restituere, pro qua sententia lege *Gl. c. jus gentium dist. 1.* Sylv. *servitus*, n. 3. Tur. *eccl. ibid.*

D. Anto 3 p. 1. 3. c. 6 § 4. Fortun. l. manumissio ff. de just. & jur. Nav. c. 17. n. 103. Nisi promississet) Sor. loc. c. col 4. Bannes l. c. dub pen. Sal l. c. naturali enim jure servanda fides.

Redimens aliquem ab hostibus, accipiet pretium, vel quinquenni servitutem,

Servi bona ludo, aut dono, aut hereditate acquisita, non sunt domini, quod de captis in bello tradit Sor. l. 4. de just. qu. 1. art. 2. idque alii extendunt etiam ad emptorios.

Libertus debet patrono egentia alimenta; & decedenti sine liberis, succedit patronus ab intestato. V. Sylv. manumissio. num. 6.

Sigillum confessionis.

Vide v. Confessio.

1. Confessarius non solum tenetur jure naturæ & divino ad sigillum confessionis, verum etiam Ecclesiastico, peccatque contra justitiam, (consequenter tenetur ad restitutionem damni inde secuti) & religionem, peccato sacrilegii facit injuriam sacramento pœnitentiæ: tamque stricta est obligatio sigilli confessionis, ut illud violans, semper peccet mortaliter; nec datur in hac parvitas materiæ excusans à mortali peccato. Pertinet autem cognitio fractionis sigilli ad judicem ordinarium ipsius Confessarii, cui subiectus est. tom. 1. de Pœnitentiæ Sacramento, disp. 5. quest. 6. sect. 5. punct. 1. num. 1. & seq.

2. Ea omnia cadunt sub confessionis sigillum, quæ manifestata sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem sacramentalem, factam animo se accusandi. Ibid. punct. 2. num. 1.

3. Hinc collige non oriri obligationem sigilli, quando pœnitens scienter manifestat peccata sua laico, vel clerico quem scit non esse Sacerdotem. Neque similiter ad sigillum is, cui aliquid manifestatum est sub sigillo ab eo, qui non habebat intentionem confitendi. Ibid. num. 2 & 3.

4. Confessarius tenetur ad sigillum confessionis, quando dubitat aliquid sibi revelatum fuisse per ordinem ad confessionem: secus dicendum, quando quis ad ipsum accessit, ut ipsum pertraheret ad peccatum. lb. n. 4. & 5.

5. Confessarius obligatur ad ea reticenda quæ in confessione audivit, etiam si pœnitentem ob aliquem defectum non ab-

absolverit: nam illa audivit per ordinem ad confessionem. Idem dicendum de proposito committendi aliquod peccatum, quoties pœnitens illud manifestavit Confessario animo se accusandi. *ibid. num. 6. & 7.*

6. Parochus qui in confessione novit aliquod impedimentum, tenetur illud sub sigillo reticere; consequenter non potest matrimonium pœnitenti denegare, quem in confessione novit obstrictum esse impedimento dirimente. *ibid. num. 8.*

7. Sub sigillum cadunt peccata tam venialia quam mortalia quamvis publica, si aliunde Confessarius non habuit illorum cognitionem, quam per confessionem sacramentalem. Item & omnes circumstantiæ quamvis inutiles in confessione manifestatæ. *ibid. num. 9. & 10.*

8. Denique ea subjiciuntur sigillo quæ quis aperit Sacerdoti animo se accusandi in foro sacramentali. *ibid. n. 12.*

9. Illi tenentur ad sigillum confessionis qui aliquid norunt occasione confessionis: quales sunt Confessarius, Superiores quibus Confessarius aliquid in confessione auditum legitima de causa manifestavit. Illi adhuc tenentur ad sigillum, quibus Confessarius, dum consilii gratia aliquid manifestaret, imprudenter manifestavit pœnitentis personam. Item interpretes quibus pœnitens utitur in confessione & si qui ex malitia vel casu peccata pœnitentis audierunt, aut chartam invenerunt, in qua expressa erant alicujus peccata per ordinem ad confessionem: hi enim saltem tenentur ad secretum naturale, peccantque legendo aliquid, postquam cognoverunt in ea charta contineri peccata. *ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

10. Confessarius loquens de auditis in confessione absque manifestatione personæ & sine periculo, ut audientes veniant in cognitionem, vel suspicionem personæ, non dicitur frangere sigillum: caveat tamen ne loquendo suspicionem ullam ingerat, ne unum pœnitentem nimium laudet, & ne dicat aliquem sibi confessum fuisse tali occasione; &c. *ibid. punct. 4. num. 1. & 2.*

11. Confessarius non frangit sigillum testando in tali civitate multos improbos adesse, vel talia crimina perpetrari; aut dicendo, *absolvi Petrum* Secus si diceret: *Titius mihi confessus est casum reservatum, vel gravia peccata*: tali enim locutione efficit, ut pœnitens magis peccator cognoscatur. *ibid. num. 3. & seq.*

12 Si dicatur, *Non absolvi Titium*, frangitur sigillum: inge-
titur enim audientibus suspicio gravis alicujus defectus; se-
cus si dicatur, *nondum absolvi Titium*. Neque tenetur Confes-
sarius schedulam confessionis præbere illi, quem ob aliquam
causam non absolvit. *Ibid. n. 6. & 7.*

13 Confessarius non potest extra confessionem sine libera
pœnitentis licentia uti scientia confessionis ad aliquid facien-
dum, vel omittendum, quoties periculum imminet revelatio-
nis, directe vel indirecte alicujus peccati in confessione audi-
tæ, sed perinde se debet gerere, ac si nihil sciret in iis rebus, ex
quibus pudor, seu confusio, aut damnum pœnitenti seque-
retur. *Ibid. num. 3.*

14. Quando pœnitens dat facultatem Confessario loquen-
di de auditis in confessione, non censetur etiam facultatem
concedere revelandi personam sui ipsius. Et licentia loquendi
de auditis in confessione, debet esse expressa saltem æquiva-
lenter, nec sufficit tacita aut præsumpta. Ex quibus collige
Confessarium non frangere sigillum, si cum pœnitente lo-
quatur de auditis in confessione, de quibus pœnitens Confes-
sarium alloqui cœpit: neque si admoneat pœnitentis heredes
juxta pœnitentis præscriptum. Collige præterea Confessa-
rium ob peccatum in confessione auditum non posse punire
pœnitentem officio, etiamsi officium esset amovibile: sicut
nec famulum suum dimittere, quem per solam confessionem
novit esse furacem: neque pœnitenti electionem ad benefi-
cium denegare, quem improbum & indignum tantummodo
per confessionem cognovit. *Ibid. num. 9. & seq.*

15. Confessarius sive si: Parochus, sive alius, non potest
Eucharistiam denegare ob peccatum in confessione audi-
tum: inde enim proveniret pudor & confusio pœnitentis:
neque potest Confessarius uti scientia confessionis cum re-
velatione pœnitentis ad tuendum bonum temporale: ad-
eo enim inviolabile est sigillum confessionis, ut numquam
licite violari possit: & in hoc differt ab alio secreto in alia
materia, quod aliquando licite violari potest. Neque li-
cet Confessario peccatum in audienda confessione commis-
sum manifestare, quando periculum est, ut alter Confes-
sarius veniat in cognitionem peccati alterius pœnitentis. Si-
militer qui per confessionem solam novit Ecclesiam esse pol-
lutam, non potest detegere ut reconcilietur: nec Confes-
sarii qui ejusdem pœnitentis confessiones exceperunt, pos-
sunt

sunt ad invicem de peccatis in confessionibus auditis loqui. His adde Confessarium non posse ex noticia in sola confessione habita corrigere complicem pœnitentis; nec faciem alpe-riorem pœnitenti præbere ob peccata in confessione audita. *Ibid. num. 17. & seq.*

16. Confessarius qui in confessione novit sibi insidias parari ab alio, potest se domi continere, aut recedere à loco in quo sibi parantur insidie; modo potest Missam prætermittere, quando per confessionem novit vinum esse veneno infectum, poteritque ob audita in confessione cautior & vigilantior reddi. *Ibid. nu. 27. 28. 29. & 30.*

17. Si Confessarius interrogetur de peccato in confessione audito, non potest respondere juxta interrogantis mentem, licitumque est ei uti restrictione debita, aut tergiversatione, aut amphibologia. *Ibid. num. 31. & 32.*

18. Si Confessarius certò sciat delictum pœnitentis extra confessionem, & pœnitens rogatus à Confessario nolit peccatum suum manifestare & explicare, debet illum repellere: indignè enim petit absolutionem. *Ib. n. 33.*

A D D I T I O.

Prodere crimina in confessione audita, dum pœnitens non prodatur, non est contra sigillum, unde non frangunt sigillum, qui scelera audita in confessione viris doctis narrant, consilii captandi causa, dum illi pœnitentem agnoscere nequeant. Sigillum frangere numquam licet, ne pro salute quidem totius Reip. Si Confessarius crimen suum in confessione explicare nequeat, sine revelatione peccati in confessione auditi, sileat, donec confessarium habeat qui pœnitentem ignoret.

Cognita extra confessionem non debet Confessarius pœnitenti dicere, sed cavè interroget, & responsis ejus acquiescat, interdum ne interroget quidem, ut si ex alterius confessione crimen ejus agnoscat.

Clemens VIII. anno 1593. sanxit, ne Regularium superiores noticia ex confessione habita, ad externam gubernationem utantur.

Simoniam.

1. Simoniam nomen dedit Simon Magus Dei donum seu Spi;

Spiritu sanctum emere volens, ut illud venderet. Actor 8.
 Simoniam autem est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi aut vendendi, seu commutandi contractu oneroso, & non gratuito rem sacram seu spirituales, vel spirituali annexam pro temporali. *tom. 1. de Simoniam, disp. 1. q. 1. numer. 1. 2. & 3. Quare*

2. Qui ministerium aliquod spirituale exercet spe lucris, aut ob humanum amorem, vel preces, &c. non committit peccatum simoniam, quia nullum facit contractum onerosum, nec spirituale ministerium exercet tamquam pretium rei temporalis. Intentio quoque decipiendi non inducit simoniam in eo qui pecuniam promittit pro beneficio animo non verè emendi: neque permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali: neque is qui consanguineo prabet beneficium propter consanguinitatem, incurrit simoniam labem. Item neque beneficii collatio facta in gratiam, seu petitionem alterius, simoniaca est; secus dicendum de debitore beneficii conferente suo debitori cum pacto ut sibi debitum solvat. Idem valet in conferente beneficium filio iudicis, vel etiam presentante cum pacto absolvendi reum, vel mitigandi poenam vel rigorem iustae sententiae. *ibid. numer. 4. & seq.*

3. Non committitur simonia contra jus humanum vel divinum, dando beneficium alicui, vel faciendo aliquid spirituale ex metu imminuentis mali, ut ex timore amissionis vitae, famae, honoris, lucris cessantis, vel damni emergentis. *ibidem numer. 8.*

4. Pretium quod pro re spirituali tradi solet, & cujus traditione committitur simonia, triplex est, videlicet à manu, à lingua, & ab obsequio. Bona temporalia revocantur ad munus à manu, vel munus à lingua, & munus ab obsequio. Nominè autem *muneris à manu* intellige quaelibet bona externa pretio aestimabilia, sive sint mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia. Idem dic de promissionibus, vel obligationibus illorum. Hinc sequitur debitum Ecclesiae remittentem, ut beneficium obtineat, aut pensionem promittentem vel recipientem, pro beneficii collatione, vel presentatione, simoniam committere. Idem sentiendum de conferente beneficium vel recipiente sub conditione mutui, cum mutuum secum afferat temporalem utilitatem. *ibid. §. 1. numer. 1. & seq.*

Qq

5. Pr 4

5. Præsentatus ad beneficium, simoniæ labem incurrit promittendo præsentatori, aut electoribus se non exacturum decimas, aut promittens Canonicis electoribus remissarum partem præbendæ, &c. Secus si liberè & sine pacto largiatur. *ibid. num. 6.*

6. Per *munus ab obsequio* intellige opus hominis condicens ad utilitatem, seu commodum hominis: quare qui beneficium confert cum pacto præstandi obsequium aliquod temporale, simoniacus est: secus si conferat cum pacto præstandi onera beneficio annexa seu imposita tempore institutionis, seu vacationis. Præterea qui beneficium confert vel procurat in compensationem obsequiorum, seu ad extinguenda debita, simoniacus est: secus si beneficium conferat vel procuret animo conciliandi sibi benevolentiam, etiam si mediante benevolentia, seu amicitia temporale luctum speret. *ibid. num. 8 & seq.*

7. Aulici vel famuli obtinentes beneficia à Cardinalibus vel aliis Prælatibus quibus inserviunt, simoniam non committunt, modò inserviant absque pacto tacito vel expresso recipiendi beneficium propter obsequium præstitum. *ibidem num. 12.*

8. Per *munus à lingua* intellige actionem precum, seu supplicationum & intercessionum quæ lingua exerceri solent in favorem illius qui rem spiritualem confert. Ut autem huiusmodi actio, seu preces rationem pretii habeant, opus est, ut fiant ex pacto expressè vel tacitè inito cum eo qui spirituale confert; tunc enim pretio æstimantur, & commutari videntur cum re spirituali. Unde qui pecunia inducit familiarem vel amicum Episcopi ad petendum pro se, vel pro alio beneficium, simoniam committit, cum pecunia pareret sibi viam ad beneficium. *ibidem n. 13 & 14.*

9. Verum tamen est familiares Prælatorum non esse reos simoniæ, dum pecuniam accipiunt ob facilem ingressum, quem aliis præbent ad Prælatum, neque etiam admonentem Prælatum, & certiore facientem de meritis oratoris, modò intercessoris officium non gerat. Denique neque is est simoniacus, qui precibus impetrat sibi vel alteri beneficium, modo nullum intercedat pactum, *ibid. n. 15 & seq.*

10. Ad cognoscendum an res temporalis tradita sit pro re spirituali, iudicium ferendum est ex assertionem delinquentis, & ipsius iudicio standum est; quia culpa simoniæ magna ex parte

parte pender ab intentione operantis. *ibid.* §. 2. *num.* 1.

Quoruplex sit simonia.

ii. Simonia triplex est, mentalis, conventionalis & realis. *ibid.* q. 2. *n.* 1.

12. Mentalis dupliciter accipitur: primò pro nudo proposito seu desiderio committendi simoniam; & hæc nullâ ratione cum externo actu conjungitur: secundò simonia mentalis accipitur pro illa actione quæ fit quidem mente simoniaca, sed ex se, & ex circumstantiis simoniam non præfert, nec apparet exterius ulla simoniæ labes *ibid.* *n.* 2.

13. Simonia conventionalis consistit in pacto; seu conventionione expressa vel tacita, dandi vel recipiendi temporale pro spirituali: hæc simonia distinguitur à mentali ob conventionem externam, quam non includit mentalis; distinguitur verò à reali, quia non habet adjunctam rei traditionem *ibid.* *num.* 3.

14. Simonia realis est illa quæ res temporalis traditur vel accipitur pro spirituali: hæc incompleta dicitur, dum ex utraque tantum parte res traditur; completa verò, dum res ex utraque parte traditur. *ibid.* *n.* 4. & 5.

15. Datur adhuc simonia confidentialis realis, dum videlicet beneficium re ipsa renuntiatur, vel confertur cum pacto ut sibi vel alteri restitatur, vel ut sibi vel alteri pars fructuum tradatur. *ibid.* *n.* 6.

16. Simonia ficta committitur dum quis exterius promittit rem spiritualem pro temporali, vel rem temporalem pro spirituali absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam; & hæc simonia non est vere simonia, sicut fictum aurum non est aurum.

17. Sed modo dubium est, utrum mentalis simonia semper committatur tradendo temporale occasione spiritualis, vel è contra? Respondetur non committi, nisi spirituale intendatur tamquam pretium rei spiritualis, vel temporale tamquam pretium rei spiritualis, vel nisi mens seu intentio feratur in objectum simoniacum solum ob Ecclesiæ prohibitionem, seu nisi intentio sit prava. *ibid.* *n.* 9. & 10.

*Simoniam quo jure prohibita, quare peccatum sit,
quanam illius materia.*

18. Simoniam prohibita est jure naturali, divino, & humano: quamquam dari potest solo jure humano prohibita, quia Ecclesia facere potest rem immunem à laica potestate, & prohibere ne res aliqua annexa rei sacrae vendatur in reverentiam talis rei. Simoniam humanam materia sunt permutatio, vel venditio, vel resignatio beneficii propria auctoritate & illegitimè facta; præterea acceptio quoque alicujus rei occasione examinis, & qualibet Ecclesiastica officia spiritualia, seu habentia onus spirituale, aut administrationem Ecclesiasticam *ibid. q. 1. num. 1. & seq.*

19. Simoniam ex suo genere opponitur religioni, estque gravissimum crimen, nec fit veniale ratione parvitatis materiae, si res temporalis tradatur pro spirituali; imò simonia formaliter adeo mala est, ut numquam licita fiat, ne quidem per divinam potentiam, *ibidem n. 1. & seq.*

20. Materia simoniam est res aliqua sacra spiritualis & supernaturalis; unde committitur simonia vendendo gratiam sanctificantem. *ibid. q. 4. n. 1. & 2.*

21. Spiritus sanctus vendi potest non de jure, sed de facto, si v. g. vendatur Sacerdos intuitu sacerdotii. Similiter vendendo Christum committi potuit simonia, habita ratione unionis hypostaticae, vel donorum sacrorum & supernaturalium in Christo existentium. Item & Eucharistia tam ratione contenti quam specierum consecratarum est materia simoniam; sicut & sacramenta aut sacramentalia, & reliquiae; secus dicendum de misericordiae operibus externis, videlicet de actionibus & obsequiis sepeliendi mortuos, visitandi infirmos, &c. quia hæc opera ex se non sunt res sacrae, sed naturales *ibid. n. 1. & seq.*

22. Simoniam committitur dando pecuniam pro Missæ sacrificio; secus si detur titulo eleemosynæ, aut congrua sustentationis, vel laboris extraordinarii. Item, vendendo rosarium plaris, seu majori pretio, ex eo quod reliquias Sanctorum attigerit. *ibid. nu. 9. & 10.*

23. Coadjutoria Ecclesiae, & Commendæ clericales sunt materia Simoniam, sive perpetuæ sint, sive temporales, sive dentur ob utilitatem ipsius Ecclesiae commendatæ, sive in
favorem

favorem commendatarii; secus dicendum de commendis
militaribus, quæ conferuntur titulo laico. *ibid. n. 14. & seq.*

24. Committitur simonia accipiendo aliquid temporale
pro Sacramentis, ut sunt quid conflatum ex materia & for-
ma, cum ut sic sint res sacræ: non autem committitur tra-
dendo vel accipiendo aliquid pro materia remota Sacra-
mentorum, ut pro pane, vino, oleo, &c. *ibid. §. 1. num. 1. & 2.*

25. Quæres, an pro Sacramentis nonnumquam prævia
pecunia recipi vel dari possit absque simoniæ labe: Respon-
detur pecuniam tradi posse non pro ipsis Sacramentis, vel
eorum administratione, sed ad removendum impedimen-
tum, vel ad redimendam injustam vexationem, dum gravis
urget necessitas recipiendi illa Sacramenta. Imò Sacramen-
tum accipi potest tradita pecunia, etiam quando admini-
strans pretium petit, tamquam pretium administrationis,
modo petens pretium pro Sacramento non petat illud in
contemptum seu injuriam Christianæ religionis. *ibid. nu. 3.*
& seq.

26. Ceremoniæ & benedictiones sacræ, seu Sacramen-
talia tam transeuntia quam permanentia, sunt materia simo-
niæ; vendi tamen possunt Sacramentalia permanentia ra-
tione materiæ præcise absque simoniæ labe; secus dicendum
de agnis Dei benedictis, quos vendere specialiter prohibi-
tum est in urbe Roma. *ibid. §. 2. num. 1. & seq.*

27. Suscipiens ordines prævia pecunia, seu pretio, pa-
tronus præsentans aliquem ad ordines cum pacto, ut ab eo
nihil petatur; ordinarum collatores accipientes aliquid in col-
latione ordinum, etiam si sponte offeratur, simoniaci sunt:
Notarius tamen potest aliquid loco stipendii accipere pro
litteris testimonialibus, dimissoriis, &c. dum ei salarium
constitutum non est. *ibid. §. 3. n. 1. & seq.*

28. Functiones ordinum, tam majorum quam minorum,
sunt materia simoniæ; sicut & etiam prima tonsura, officia
divina, orationes privatæ, & exequiarum vel funerum actio-
nes spirituales, v.g. recitatio & cantus Psalmorum. Cantor
canens tamquam laicus pretio accepto vel promisso, non in-
currit simoniæ labem. *ibid. §. 4. n. 1. & seq.*

29. Dubium est an simonia committatur vendendo se-
pulturam? Resp. probabilius videri committi peccatum si-
moniæ jure humano prohibitæ, si pretium exigatur pro ipsa
terra deputata communi sepulturæ fidelium; non autem
com-

committi simoniam, si in venditione habeatur ratio loci honorationis ob rationem & respectum aliquem temporalem. Idem militat in jure stalli, seu sedendi aut standi certo loco in Ecclesia. *ibid.* §. 6. n. 3. & seq.

30. Quæres, an committatur simonia promittendo vel dando temporale alicui, ut opus spirituale præstet? Resp. committi, quia simonia committitur emendo aut vendendo spirituale pro temporali: at qui tradit aliquid alteri ut peccatum vitet, vel ut opus spirituale faciat in solus operantis utilitatem, relicta illi facultate & libertate faciendi tale opus, non committit simoniam, nec alia ratione peccat præciso scandali periculo, si tale opus sit consilii, sive supererogationis, sive præcepti. Similiter non committitur simonia promittendo aliquid alteri tradendum sub conditione, si tale opus spirituale præstiterit. Idem militat dum temporale traditur sub conditione operis spiritualis; etiam dum recipient obligatur ad restitutionem rei acceptæ, nisi spirituale opus præstiterit. *ibid.* §. 7. n. 2. & seq.

31. Nihil tradi vel accipi potest tamquam pretium pro ingressu in religionem, seu pro ipsa professione vel statu religioso; cum status religiosus sit res spiritualis; non committitur tamen simonia tradendo aliquid pro congrua religionis sustentatione. *ibid.* §. 8. n. 1. & 2.

32. Committiturne simonia accipiendo pecuniam pro abstinendo à bono opere? Resp. non committi si opus sit naturale, & non pertineat ad religionem; imò omissio actus spiritualis, vel pravi operis quod quis facturus erat in rigore loquendo non est materia simoniæ; neque occultans peccatorem accepta pecunia, est simoniacus proprie loquendo. *ibid.* §. 9. num. 1. & seq.

33. Committiturne præterea simonia vendendo scientiam & doctrinam, id est, docendo ratione pretii, vel docendi licentiam concedendo? Resp. scientiæ & doctrinæ, etiam miraculose obtentæ actum, seu exercitium, veritatem naturalem, &c. vendi posse absque simoniæ labe; potestque pretium justum taxari habita ratione qualitatis personæ, quare docens Theologiam prævia pecunia, simoniæ labem non incurrit; neque præbens consilium in facultate Theologica, etiam si consilium hujusmodi detur ad pacandam alterius conscientiam. *ibid.* §. 10. num. 1. & seq.

34. Concio est materia simoniæ si ipsa per se spectetur, & nihil accipi potest pro ea, præciso labore & sustentatione quæ in pactum deduci potest: at licentia docendi, etiam in sacra Theologia, non est materia simoniæ; sicut neque Doctoratus seu magisterium, quia hujusmodi gradus & actus docendi non est spiritualis *ibid. num. 8. 10 & seq.*

35. Quæres, utrum materia simoniæ non solum sint res sacrae & spirituales secundum se, verum etiam illæ quæ spiritualibus sunt annexæ? Resp. annexum antecederet spirituali ut sic esse materiam simoniæ, secus si per se spectetur. Jus patronatus numeratur inter annexa spiritualibus antecederet, & ut sic vendi non potest. Idem dic de ipsa præsentatione, seu actu præsentandi, quia est actio spiritualis. *ibid. §. 11. num. 2. & seq.*

36. Annexum spiritualibus comitanter, vel consequenter est materia simoniæ; ergo vendi non potest absque simonia, sequitur enim naturam principalis, seu spiritualis cui adnexum est ideo beneficiarius resignans alteri beneficium, non potest quicquam exigere ab eo cui beneficium confert, etiam si intendat aliquid exigere ratione fructuum, & beneficiarius resignans beneficium accepto pretio ratione fructuum, simoniam incurrit etiam contra jus divinum. *ibid. num. 7 & seq.*

37. Episcopus seu beneficii collator nihil exigere potest ob beneficii collationem, licet hoc facere intendat intuitu temporalis incommodi; potest tamen Episcopus superans Ecclesiam sui juris à sua dignitate, aliquid exigere in recognitionem juris antiqui. *ibid. num. 11. & 12.*

38. Etiam ipse Papa non potest in collationibus beneficiorum quidquam exigere in sui aut alterius favorem, si beneficium spectetur ratione tituli seu juris spiritualis; potest tamen pensionem imponere, & nolle beneficium conferre, nisi illi qui vult pensionem solvere. Imò potest adhuc dum beneficium alicui confert cum pensione, æstimare totum pensionis valorem, illumque anticipare recipere, aut alteri conferre jus ad illud recipiendum. Quare resignans Episcopatum alteri, potest de licentia Papæ resignare Episcopatum cum pacto ut resignatarius statim extinguat pensionem, qua extincta mille remaneant titulari Episcopo. *ibid. num. 13. & seq.*

An simonia committatur in permutatione beneficiorum, aliarum rerum spiritualium, aut occasione pensionum.

39. Permutatio rei spiritualis cum alia re spirituali precise, simoniaca non est; secus si fiat permutatio rei spiritualis cum alia spirituali, cui adnexa est temporalis, *ibid.* §. 12. num. 1. & 2.

40. Beneficiorum permutatio seu provisio, privata auctoritate facta, simoniam contra jus Canonicum continet. Idem valet in permutatione actionum pertinentium ad provisiones beneficiorum, si privata fiat auctoritate; quamquam permutantes beneficia possunt prius inter se agere de permutatione facienda, & obligare se mutuo ad persistendum in conventionem, donec Superior, v. g. Episcopus consensum denegaverit, vel præstiterit. *ibid.* n. 3. & seq.

41. Beneficia quamvis inæqualia in temporalibus permutari non possunt cum pensione, vel alia re pretio æstimabili coram Episcopo aut alio inferiore Papa etiam si pensio aut alia res temporalis exigatur ratione beneficii pinguioris, quod cum tenuiori permutatur, ad solum enim Papam pertinet beneficiorum inæqualitatem circa proventus compensare annua pensione, vel etiam numerata pecunia titulo sustentationis, &c. ut permutans pinguius cum tenuiori indemnis servetur. Dicitur *circa proventus*, quia beneficii inæqualitas in dignitate compensari non potest pecunia, vel alia re pretio æstimabili; etiam auctoritate Papæ, si dignitas præcisè spectetur. *ibid.* n. 10. & seq.

42. Pensio laicalis, seu quæ laicis tribuitur ob causam mere temporalem, non est materia simoniæ, saltem contra jus divinum; pensio vero clericalis, seu spiritualis est materia simoniæ, non solum contra jus humanum, verum etiam contra jus divinum. *ibid.* §. 13. n. 3. & 4.

43. Pensionarius non potest pensionem transferre accepto, vel reservata fructuum parte; verum tamen est pensionarium habentem facultatem transferendi pensionem, posse illam in totum vel in partem transferre. *ibidem* numer. 5. & 6.

44. Pensionarius non potest pensionem anticipatis quibusdam

busdam solutionibus privata auctoritate extinguere, & si extinguat, tenetur adhuc ad pensum officii cum reportarit idem stipendium. *Ibid. num 7 & seq.*

45. Pensionarius libere cedere potest pensioni privata auctoritate, cum quilibet cedere possit juri suo, nisi lege prohibeatur. Imò vendere, vel donare quoque potest fructus suæ pensionis, etiam ad totam vitam. Et hoc valet, etiam si pensionarius titulum pensionis sibi retineat. *Ibid. n. 12. & seq.*

46. Pensionis fructus emens à pensionario anticipata pecunia, non est reus simoniæ, etiam si constituatur procurator ad exigendum fructus pensionis à beneficiario. *Ibid. n. 15.*

*An simonia committatur in resignatione beneficiorum
vel transactione.*

47. Resignatio beneficii non pura labem simoniæ continet, si fiat coram Prælato inferiore Papa: quia qualibet pactio in beneficiis jure communi vetita est: quare resignans beneficium cum pacto ut sibi reficiantur expensæ in assensione beneficii factæ, simoniam incurrit; si hanc resignationem faciat coram inferiore Papa Præterea sequitur committi simoniam faciundo coram Episcopo resignationes reciprocas, ut si quis dicat; Ego resigno meum beneficium tuo nepoti, vel amico, tu vero resigna tuum mihi vel meo nepoti. Item resignatio beneficii cum designatione successoris, invalida est & illicita si fiat coram inferiore Papa: vel cum pacto ut colator conferat personæ designatæ: & Prælati admittens resignationes cum designatione futuri successoris, incidit in graves pœnas *Ibid. §. 14 n. 2 & seq.*

48. Transactio est pactio non gratuita de re dubia & lite incerta ad litem dirimendam: fit duobus modis transactio, vel compensando rem spiritualem cum temporali, vel compensando rem spiritualem cum spirituali. *Ib. § 13. num. 1 & 2.*
Hoc posito,

49. Transactio simoniaca est, dum in ea remittitur vel retinetur jus spirituale pro temporali; huc sequitur committi simoniam faciundo transactionem circa reliquias tradita vel accepta pecunia: transactio verò circa rem spiritualem non est simoniaca, dum res spiritualis compensatur largitione vel cessione alterius rei, seu juris spiritualis proportionati. Et hoc verum est, etiam si transactio fiat propria auctoritate, modo

non fiat in materia beneficiali, (nam hæc fit auctoritate Episcopi, vel arbitratorum,) quamquam aliquando fieri non potest sine Prælati auctoritate, ut si transigentes intendant transactionem perpetuam facere. quæ successores etiam afficiat. Imò si transactio seu compositio fiat cum laicis super decimas, necessarius est Summi Pontificis consensus *Ibid. num. 3. & seq.*

50. Episcopus ad dirimendam litem potest absque simonia applicare uni beneficium cum onere, ut solvat pensionem quamdiu vixerit. Imò potest etiam pensio imponi beneficiario ab Episcopo etiam ex prævia petitione & instantia partium ad dirimendam litem; modo partes non absolute inter se convenerint de huiusmodi pensione, & postea illius confirmationem petant ab Episcopo. *Ibid. num. 9. & seq.*

51. Litigantes circa beneficium possunt communi consensu clericum arbitrum eligere, etiam si arbiter non sit Prælati, vel iudex causæ, cum hoc nullibi vetitum reperiat. *Ibid. num. 11.*

52. Quæres, utrum simonia committatur, tradendo vel accipiendo aliquid pro actibus jurisdictionis fori interni? Resp. actus jurisdictionis fori interni, v.g. absolutionem censurarum, peccatorum reservationem esse materiam simoniae, committique simoniam tradendo vel accipiendo pecuniam seu pretium pro illis actibus, sicut & pro indulgentiarum concessione, pœnitentiæ impositione, &c. Idem dicitur de facultate audiendæ confessionis. Non committitur tamen simonia tradendo pecuniam, ad tollendum injustum impedimentum absolutionis, seu injustam vexationem, quia tunc pecunia non datur pro actu spirituali, sed pro removendo impedimento illo injusto. In præxi tamen id faciendum non est, nisi pœnitenti imminet inde grave aliquod damnum. *Ibid. §. 16. num. 1. & seq.*

53. Parochorum acta pertinentia ad pastorem curam sunt materia simoniae; & Parochus nolens matrimonio assistere absque pretio, simoniacus est; quamquam Parochus præbens facultatem alteri assistendi matrimonio, non committit simoniam ineundo pactum de tradenda sibi pecuniæ parte, quæ illi ea occasione tradetur. *Ibid. num. 6. & seq.*

54. Sacerdos, cui data fuit pecunia ad tribuendam absolutionem, simoniacus est, si re ipsa non intendat absolvere: non erit tamen reus simoniae injungendo pœnitenti elemosinam in satisf. actionem peccatorum, secus si obliget ipsum ad tradendam sibi pecuniam. *Ibid. n. 9. & 10.*

55. Simoniam non committitur dando vel accipiendo temporale pro actibus jurisdictionis laicæ & temporalis, seu politicæ: unde Prælati Ecclesiastici concedens licentiam docendi vel legitimandi ad honores temporales, vel ad successionem in bonis, non est reus simoniæ. Committitur tamen simonia tam dando vel accipiendo temporale pro jurisdictione Ecclesiastica voluntaria vel contentiosa, quam dando vel accipiendo temporale pro actibus jurisdictionis: hinc collige sententiam iudicis Ecclesiastici in causa spirituali, v.g. in causa hæresis, esse materiam simoniæ. *Ibid. §. 17. n. 1. & seq.*

56. Officia, ut Auditorarius Cameræ, &c. non sunt materia simoniæ si per se spectentur, seu potius ratione emolumentorum, quæ talia officia consequuntur. *Ibid. n. 5.*

57. Papa in dispensationibus concedendis aliquid exigere potest his de causis; videlicet ob sustentationem Summi Pontificis, & onus ac laborem officialium; ob commutationem unius operis in aliud; ob pœnam delicti, & ut homines retrahantur ab illis petendis. *Ibid. n. 6.*

58. Advocatus non incurrit simoniæ labem impendendo operam suam in iudiciis; neque similiter Notarius, per se loquendo, accipiens aliquid pro scripturis, seu litteris. *Ibid. n. 7. & 8.*

59. Testis accipiens aliquid pro ferendo testimonio, simoniæ labem non incurrit, secus si accipiat aliquid ut inducat iudicem ad iudicandum vel dispensandum in causa spirituali. *Ibid. num. 10.*

Quinam simoniæ labem committere possint.

60. Omnes cujuscumque conditionis homines possunt esse rei simoniæ juris naturalis divini, etiam Papa: similiter omnes cujuscumque conditionis homines baptizati incurrere possunt simoniam juris Canonici; etiam Papa, nisi prius secum dispenser in lege; Cardinales quoque, religiosi, Prælati, &c. possunt esse simoniaci: neque tolerantia Pontificis excusat à simonia, nisi talis adsit scientia, tolerantia, & consuetudo, ut iudicio prudentum ea lex sublata censatur. *Ibid. qu. 5. num. 1. & seq.*

Quæ causa excusare possint à simonia.

61. Non committitur simonia dum occasione rei spiritua-

lis accipitur pecunia seu res pretio æstimabilis, non tamquam pretium rei, sed gratis, vel titulo gratitudinis, & non in pretium rei spiritualis. Hinc patet non committi simoniam, quando aliquis gratitudinis gratia dicit conferenti beneficium vel alteri cuius opera usus est in obtinendo beneficio, *omne quæ ego habeo, etiam ipsum beneficium, sunt di. aia tuo obsequio & voluntati, &c. ibid. q. 6 punct. 1. n. 1. & seq.*

62. Obligatio antidotalis, quam quis sperat vel intendit non est materia simoniæ; neque amicitia vel benevolentia quam quis intendit in collatione rei spiritualis, collationem enim beneficii necessario sequitur benevolentia ex natura rei. Unde fit ut simonia non committatur tradendo beneficium seu aliquid spirituale intentione adimplendi suam obligationem, quam quis contraxit ob acceptionem rei temporalis. Item simoniacus non est qui temporale tradit intentione ut sibi aliquid spirituale conferatur titulo gratitudinis, etiam si ab eo cui temporale tradit, petat gratitudinem vel recognitionem suæ obligationis naturalis: non potest tamen obligatio antidotalis in pactum deduci pro re spirituali. *Ibid. nu. 7.*

63. Sustentationis titulus excusare debet à simonia, potest que sustentatio in pactum deducti absque simonia, modo non adsit prohibitio aliunde, vel excessus accipiens enim plus pro sustentatione quam ferat ratio laboris & operis, iniustitiam committit, imò incurrit suspicionem simoniæ, quia tunc presumitur accipere tamquam pretium rei spiritualis. *Ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

64. Committitur simonia accipiendo aliquid pro labore intrinseco actioni spirituali, quia labor iste non distinguitur ab ipsa actione sacra, secus dicendum de labore extrinseco; id est de eo sine quo tale opus fieri potest, consequenter cantus Missæ adjunctus non est materia simoniæ; sicut neque defatigatio & molestia percepta ex magna contentione virium, vocis vel animi, quam obrem concionator non incurrit simoniam suscipiendo aliquid pro magna contentione vocis & animi, aut pro labore & studio. Similiter iter occasione rei spiritualis susceptum non videtur materia simoniæ, sicut neque obligatio manendi in aliquo loco, vel celebrandi tali hora. *Ibid. punct. 3. n. 1. & seq.*

65. Locatio operatum, seu obligatio exercendi spiritualia (non quatenus dicit ordinem ad spiritualia ut sic) videtur pretio æstimabilis, consequenter excusare solet à simonia; cum

hujus

huiusmodi obligatio sit aliquid distinctum ab actione ipsa spirituali *Ibid. n. 9.*

66. Non committitur simonia, per se loquendo, accipiendo aliquid titulo privationis libertatis ad alia opera utilia quæ quis eo tempore præstitisset: potestque haberi ratio lucri cessantis vel damni emergentis, quod quis paritur occasione operis spiritualis peragendi: non debet tamen opus ipsum spirituale esse ratio traditionis pretii, hoc enim simoniacum est. *Ibid. punct. 4. n. 1. & 2.*

67. Titulus redimendæ vexationis injustæ, seu ut alii loquuntur vexationis de facto, non de jure, excusat à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale. Ita *cap. dilectus, de simonia*, Vexatio tamen injusta non excusat a simonia, dum pro ipsa tollenda traditur res spiritualis: sicut nec vexatio iusta in re spirituali excusat tradentem pecuniam ad ipsam tollendam. *Ibid. punct. 5. n. 1. & seq.*

68. Adverte tamen vexationem in beneficiis illatam ab eo qui prodesse potest, non excusare tradentem pecuniam ad ipsam tollendam. Ideo si elector vexet me eligendo indignum simoniam committit redimendo talem vexationem: secus si tradam pecuniam subornanti & corruptenti electorem ne me ipsum eligat: nam tunc non datur pecunia, ut me ipsum eligat, sed ne damnum mihi inferat corrumpeudo electorem. Similiter simonia non committitur tradendo pecuniam illi qui per vim impedit meum concursum in beneficio: sicut neque etiam committitur redimendo pecunia injustam vexationem, qua quis injustè impeditur capere possessionem beneficii ad quod habet jus certum & non dubium. Idem dicendum in redemptione vexationis injustæ in ferendis vel auferendis censuris *Ibid. n. 4. & seq.*

69. Testi pecuniam tradens pro dicenda veritate, simoniam non committit: item electoribus volentibus hæreticum vel schismaticum, seu indignum eligere, aut inique impediens tradi potest pecunia ne illum eligant: secus si pecunia tradatur ut dignus vel dignior eligatur. Item Eucharistiam vel religionem conculcare volenti tradi potest pecunia, ne illas conculcet: reliquæ quoque extrahi possunt è manibus infidelium tradita pecunia; sic enim vindicatur & redimitur injusta vexatio, quæ Eucharistiæ, aut reliquis impendebat. *Ibid. n. 9. & seq.*

70. Adverte tamen non esse licitum per subornationem resistere

littere

sistere subornationi; ut si Caius muneribus vel importunitatibus precibus pervertat aliquos electores ad sui electionem, non licet mihi alios electores eadem ratione pervertere, aut eodem vehementius inducere, & in mei favorem pertrahere. *Ibid. num. 15.*

71. Consuetudo non est titulus sufficienter excusans acceptionem vel traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretii, quia hoc est intrinsicè malum & simoniacum contra jus naturale divinum, quod nulla consuetudine abrogari potest. Potest tamen consuetudo conferre jus ad majores proventus, saltem titulo sustentationis; modo hujusmodi consuetudo suspicionem aliquam simoniæ, vel turpis avaritiæ non præ se ferat. *Ibid. punct. 6. num. 1. & 2.*

Pœna contra simoniacos lata, & de ipsarum dispensatione.

72. Primo inducitur excommunicatio, dum simonia est confidentialis; quæ contingere solet in resignatione, collatione, electione, vel præsentatione, hoc animo ut beneficium vel fructus in totum vel in partem restituantur vel referantur ipsimet resignanti, conferenti vel præsentanti, aut alteri juxta ipsius electionem. Ad incurrendam hanc excommunicationem non est opus ut ista confidentia in pactum expressum deducatur, vel ut adsit ex parte utriusque, sed requiritur solum ut resignans cum hac spe resignet, & resignatarius illum resignantis animum animadvertat, etiamsi recipiens hunc animum non habeat. Unde beneficium recipiens aliquid in tenuione recipiendi illud in confidentiam, non videtur affici excommunicatione, etiamsi alter ei beneficium resignet cum spe & confidentia; beneficiarius autem cui beneficium resignatum, cognoscere poterit beneficium sibi in confidentiam resignati, ex conjecturis quibus adduci potest ad credendum beneficium sibi traditum in confidentiam. *Ibid. q. 7. punct. 1. & 2. n. 1. & seqq.*

73. Simonia confidentialis committitur, etiam dum conferens, præsentans, aut eligens ad beneficium, confidit quod beneficiarius resignabit beneficium juxta suam voluntatem, aut fructus, vel eorum partem sibi vel alteri tradet; & hoc verum est, etiamsi conferat, præsentet vel eligat personam aliquam dignam. *Ibid. num. 7.*

74. Simonia confidentialis inducit excommunicationem

statim ac pensio vel beneficium sub spe & confidentia receptum fuit, etiam si nondum capta sit pacifica beneficii possessio. Quod dictum est de simonia confidentiali in beneficiis, dici etiam debet de confidentiali in pensionibus. *Ibid. num. 8. & seq.*

75. Cardinales & alii Prælati committentes simoniam confidentialem videntur potius affici pœna interdicti quam excommunicationis. *Ibid. n. 12.*

76. Mactia excommunicationis contra committentes simoniam in ordine, (etiam in prima tonsura,) vel beneficio, est sacrilegium quod consistit in his actionibus: dare temporale pro spirituali vel è contra in beneficio, aut etiam in ordine; accipere temporale pro spirituali, vel è contra pro beneficio, aut etiam pro ordine: & denique mediatorem esse seu procurare ut temporale tradatur pro spirituali. Hinc sequitur, simoniacum in collatione, aut consecutione pensionis non ligari excommunicatione, cum pensio non sit beneficium: debetque simonia esse realis; propterea simoniacus in ordine vel beneficio non ligatur excommunicatione effectu nondum secuto, sed excommunicatio solum incurritur statim, ac pretium traditur. *Ibid. § 2. num. 1. & seq.*

77. Cognoscens beneficium acquisitum fuisse per simoniam ab altero commissam, ipso inscio, tenetur quidem beneficium resignare, sed non incurrit excommunicationem, illud retinendo. Item obtinens beneficium per simoniam ab altero contractam ipso inscio, non incurrit excommunicationem, si cognito simoniæ crimine restituat pecuniam, quam alter pro consecutione beneficii erogaverat. *Ibid. nos 13. & 14.*

78. Simoniam sciens ab altero commissam in ordine vel beneficio, absolvi non potest, nisi delinquentem denuntiet. *Ibid. n. 16.*

79. Simoniaci absolvi debent à Summo Pontifice ob excommunicationem contractam in simoniaca collatione vel receptione ordinis, aut beneficii. *Ibid. num. 20.*

80. Petentes, vel exigentes aliquid in collatione aliave provisione beneficiorum, aut admissione ad illorum possessionem, gravibus pœnis subjiciuntur in Bulla 104. Pii V. quæ incipit, *Durum nimis*. Hæ pœnæ non incurruntur, dum in provisione beneficiorum exigitur aliquid convertendum in pios usus juxta consuetudinem vel constitutiones Ecclesiarum. *Ibid. §. 3. num. 1. & 5.*

81. Urbanus IV. in cap. sane, de simonia, excommunicationem imposuit singularibus personis dantibus vel recipientibus aliquid ex pacto pro ingressu in religionem: Capitulis vero & Conventibus poenam suspensionis injunxit, idem pecuniam tradens ut in religionem admittatur, excommunicationem incurrit, etiam si mentem suam recipienti non aperiat. Simonia tamen non committitur, dum aliquid traditur vel recipitur pro sustentatione ingredientis religionem, etiam si monasterium dives sit & locuples, licet multi Doctores oppositum sentiant. Hinc moniales nolentes aliquam in monasterium admittere, nisi congruam dotem afferat, non ligantur excommunicatione, licitumque est monasterio mutuam pecuniam, depositum, vel commodatum recipere à parentibus, vel curatoribus puellæ: excusarique potest à simonia Abbattissa, quæ certam pecuniæ quantitatem paciscitur, vel recipit, donec dos conventui promissa pro novitia ingrediente solvatur, si hanc pecuniam accipiat ratione damni emergentis, quod interim monasterium patitur ob dotem non solutam. *Ibid. §. 4. num. 1. & seq.*

82. Subjectum hujus excommunicationis impostæ in hac Extravagan. sunt omnes singulares personæ quæ aliquid dant vel accipiunt pro ingressu in religionem, sive sint viri, sive feminae: Collegium verò vel conventus incurrit poenam suspensionis ab officio & beneficio simul. *Ibid. num. 9. & 10.*

83. Simonia committitur non solum dum aliquid traditur, vel recipitur tempore professionis, verum etiam in ipso ingressu & receptione ad habitum; quamquam in hoc secundo casu non incurritur censura donec professio emittatur. *Ibid. n. 11.*

84. Religionem ingrediens simoniam quidem committit, sed excommunicationem non incurrit, dum aliquid ex pacto petit vel accipit à monasterio, ut ingrediatur. *Ibid. num. 12.*

85. Simoniacè professus per sententiam expellendus est, & in arctius monasterium conjiciendus ad agendam poenitentiam. *Ibid. num. 13.*

86. Pius V. in Bulla 99. quæ incipit, *quam plenam*, censuram excommunicationis imposuit iis, qui concederent ob questum indulgentiam, aut facultatem absolventi, sive id per se faciant, sive per alium; imò Episcopi, alique Præsules, seu Antistites, etiam si Cardinalatus dignitate præditi sint, si præfata faciant, incidunt in suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, & à perceptione fructuum, reservatam Summo Pontifici, à qua

absolvi nequeunt, nisi præstita satisfactione. Hic tamen ad-
verte, simoniacam publicationem, vel concessionem alicujus
facultatis non inducere pœnam censuræ, exceptis indulgen-
tiis, & facultatem absolvendi, quæ adhuc non incurritur, nisi
effectus publicationis securus sit. *Ibid. §. 5. num. 1. & seq.*

87. Publicationi vel concessioni indulgentiarum ob quæ-
stum cooperantes, non subjiciuntur excommunicationi quia
Bulla de his non loquitur *Ibid. nu. 8.*

88. Indulgentias de novo concessas nullus, ne quidem reli-
giosus exemptus, publicare potest in sua Ecclesia absque li-
centia ordinaria. Ita Trident. *sess. 21. cap. 9. & sess. 22. cap. 5.* Imò
in hoc decreto Concilii prohibentur pravi eleëmofynarum
questores; debentque ordinarii locorum advigilare ut colle-
ctores eleëmofynarum sint honestæ vitæ & bonæ famæ, ut
non publicent indulgentias, & ne circumferant reliquias, &c.
Ibid. num. 9. & 10.

89. Non solum excommunicatio, verùm etiam suspensio
contrahitur ob simoniam tam ab eo qui ordines simoniace
confert, quàm ab eo qui ordines per simoniam suscipit. Mate-
ria autem hujus suspensionis est susceptio ordinum cum vi-
tio simoniæ commissio ab ipso susceptore ordinum, vel illi
quoad culpam imputato *Ib. §. 6. n. 1.*

90. Ordinatus per simoniam ab alio commissam ipso in-
ficio, suspensionem non incurrit, cum hic culpa careat, ut sup-
ponitur. Item ordinatus bona fide per simoniam ab alio com-
missam, non ligatur suspensione, etiamsi post ordinationem
approbet simoniam ab alio commissam. *Ibid. nu. 2. & 3.*

91. Ad incurrendam hanc suspensionem opus est ut simo-
nia sit completa, quia censura non incurritur, nisi adsit effe-
ctus completus sub censura prohibitus *Ibid. num. 4.*

92. Subiectum hujus suspensionis sunt omnes cujuscum-
que gradus & conditionis homines suscipientes ordines si-
moniacæ, etiamsi regali vel alia quavis Ecclesiastica vel mun-
dana dignitate præfulgeant. *Ib. n. 5.*

93. Quæres, an mediatores simoniæ sint etiam suspensi?
Respond. quoslibet mediatores non esse suspensos, sed præ-
sentatores ad ordinem; nam contra eos *in cap. pen. de simon. 2.*
alia lata est suspensio per triennium ab ordinum executione.
Ib. n. 6. & 7.

94. Effectus quem parit ista suspensio, est suspendere ab e-
xercitio & executione ordinum susceptorum, & ab aliis susci-
piendis. *Ib. n. 8.*

R r

95. Su-

95. Suspendio lata contra simoniacum in ordine, non suspendit à beneficio & officio, quia hoc nullo jure probatur, nec Sixtus V. hanc poenam imposuit. *Ib. n. 9.*

96. Suspendio lata contra simoniacos in ordine, perpetua est, cum jura absolute loquantur: si jus antiquum spectemus, Episcopus absolvere potest ab hac suspensione: si vero inspiciamus constitutionem Sixti V. non potest Episcopus absolvere, saltem in delicto publico. *Ibid. num. 10. & seq.*

97. Suspenduntur quoque per Bullam Sixti V. quae incipit, *Sanctum & salutare*, conferentes ordines vel tonsuram simoniacae. *Ibid. §. 7. num. 1.*

An acta simoniacae, valida sint,

98. Actiones seu functiones ordinis vel jurisdictionis simoniacae factae, validae sunt, per se loquendo, quia nullibi eas constat irritati. Adverte tamen hoc esse peculiare in sacramento poenitentiae, ut simoniacae collatum, irritum sit. Et Ecclesia quae per pactiorem consecrata fuit, potius execrata, quam consecrata dici debet, quia consecrans quantum est ex parte sua, illam polluit, & contrectat tamquam rem profanam. *Ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

99. Beneficii acquisitio simoniacae, inspecto solum jure naturali divino, valida est, sicut & etiam professio facta per simoniam. *Ib. n. 6. & 7.*

100. Omnis actio jurisdictionis, vel administrationis quae ordinatur ad obtinendam beneficii provisionem, si fiat per simoniam, irrita est, non quidem jure naturali, vel divino, (cum nihil desit ad substantiam acquisitionis,) sed jure Ecclesiastico, ut patet ex cap. *Matthaeus, de simonia*. Ex quo licet inferri, provisum per simoniam, licet occultam, tenei beneficium dimittere (nullum enim acquisivit jus in beneficium) & eum restitutionem fructuum ex hujusmodi beneficio perceptorum facere debere successori in beneficio, aut Camerae Apostolicae, aut Ecclesiae beneficii. Et hoc valet etiam si provisus simoniam ignoraret. *Ibid. n. 10. 11. 13. & 19.*

101. Beneficii provisio simoniacae facta, irrita est, etiam si crimen simoniae commissum sit à tertia persona, nisi forte provisus contradixerit, seu nisi pecunia data sit à tertia persona in odium & detestationem provisum. *Ibid. n. 17.*

102. Approbatio simoniae post obtentum beneficium non

ritat consecutionem beneficii præcedentem. Item, juxta
nonnullorum Doctorum sententiam, pensionis collatio facta
per simoniam valida est. *Ib. n. 18 & 22.*

103. Regula de triennali possessore favet obtinenti benefi-
cium per simoniam quam ipse obtinens ignorabat. *Ib. n. 20.*

104. Officium Auditoratus vel Clericatus Camera Apo-
stolicæ valde obtinetur, etiamsi per simoniam acquiratur. In-
dem dicendum juxta nonnullos de officiis religionum spiri-
tualibus. *Ibid. num. 23. & 24.*

105. Adverte autem beneficii provisionem, &c. simoniacam
non esse invalidam, nisi secuta simonia reali & completa, non
autem conventionali & semireali tantum. Unde beneficiarius
simoniacè acquirens beneficium retinere potest beneficium,
modo simonia nondum sit completa. *Ibidem númer. 25.
& 26.*

106. Promissio pecuniæ pro obtinendo beneficio vel re-
spirituale, non est adimplenda, etiam obtento beneficio seu re-
spirituale, alioqui completetur simonia realis. Promissio be-
fici facta per simoniam secuto effectu, & completa simo-
nia reali, ita irritatur, ac si ab initio conventionis irrita fuisset.
Probabile tamen est beneficia aut beneficiorum fructus per-
ceptos ante completam realem simoniam restitui non debe-
re, juxta sententiam nonnullorum Doctorum. *Ibid. num. 27.
& 29.*

107. Examinatores simoniam committentes privantur be-
ficiis rite ante obtentis, si occasione examinis aliquid acci-
pant. Potest tamen illis aliquid ab Episcopo conferri titulo
premiæ vel sustentationis: secus si assistentes examini aliunde
habeant quò se sustentent. *Ibid. diff. 1. num. 5. & seq.*

108. Simoniacus in beneficio efficitur inhabilis ad obti-
nendum illud beneficium, in quo simoniam commiserat, nisi
inhabilis ad illud efficiatur per dispensationem à Summo Pont.
iustice obtentam. Imo efficitur etiam inhabilis ipso facto ad
alia beneficia in futurum obtinenda. *Ibid. diff. 2. nu. 1. & seq.*

*Virum simonia inducat obligationem restituendi
accepta simoniace.*

109. Qui pretium accepit pro re spiritali, renetur jure na-
turali divino illud restituere illi qui pretium dedit, etiamsi res
spiritalis nondum tradita sit. Adverte tamen pretium simo-
nia-

niace, sed non iniuste acceptum, non esse obnoxium restitutioni iure naturali divino; secus si pretium simoniace & simul iniuste acceptum sit, *ibid. punct. 3. diffie. 1. n. 1. 2. 3. & 5.*

110. Obligatus ex iustitia ad aliquam functionem gratis præstandam, tenetur ad restitutionem pretii accepti pro illa functione. Idem vendens beneficia vel officia quorum non est dominus, tenetur quoque ad restitutionem pretii accepti. Similiter electores beneficiorum accipientes pretium pro eligendo digno & omittendo indigno, tenentur iure naturæ ad restitutionem. Reliquiarum quoque pretium acceptum restituendum est; secus dicendum de pretio accepto pro vasis sacris, oleo sancto, chrismate, & his similibus, si tamen pretium æquivaleat valori materiæ, & nihil detur pro spirituali. Item pretium acceptum pro functione spirituali quantum valet ipsa functio per se & materialiter spectata, non est obnoxium restitutioni. Idem sentiendum si accipiens poterat tantumdem exigere titulo sustentationis. *Id. n. 6. & seq.*

111. Vendens officium Ecclesiæ non tenetur ad restitutionem pretii, si officium illud adnexum habeat temporale commodum. *ibid. n. 13.*

112. Religio pretio admittens aliquem, non tenetur iure naturali ad restitutionem, modò non plus accipiat quàm ferat onus sustentationis. Item imaginis miraculosæ pretium acceptum ob lucrum, vel ob aliud commodum temporale, restituendum non est iure naturæ. *ibid. num. 15. & 16.*

113. Pretium acceptum pro ingressu in religionem, restituendum non est ante iudicis sententiam: sicut neque pretium acceptum in collatione ordinum vel sacramentorum. *ibid. n. 20. & 21.*

114. Res spiritualis simoniace accepta, etiam iure Canonico non est obnoxia restitutioni ante sententiam, exceptis beneficiis. *ibid. diffie. 2. 2. n. 3.*

115. Mediatore simoniæ commissæ in beneficio, tenentur ad restitutionem non solum pretii accepti, verum etiam fructuum beneficii in defectum beneficiarii, quia ipsi consentunt causæ & cooperatores damni; cooperatores autem damni tenentur ad restitutionem in defectum causæ principalis. *ib. n. 6.*

116. Dispensatio in simonia à nullo homine obtineri potest excepto Papa, qui dispensare potest in simonia juris Canonici. Nulla verborum forma necessaria est ad dispensandum in simonia, quia nulla huiusmodi forma in iure præscripta extat. *ibid. punct. 4. n. 1. & seq.*

ADDI-

A D D I T I O.

De simonia Barth. Ugolinus, P. à Sot. *señ. ult. de ord. P. N. l.*
l. à n. 383. Navar. c. 13. à n. 103 & multis conf. Coron. 3 p. 70.
 Sot. *l. 9. q. 5. art. 1. Val. t. 3. d. 6. q. 16. D. Thom. 2. 2. q. 100. Cajet.*
ibid. De simonia, quæ accidere potest in religionis ingressu,
 Dion. Carthuf. opusculum extat.

Bulla contra confidentias intelligenda de simoniacis, scil.
 ubi pactum saltem tacitum intervenit, Vid Nav. *l. c. n. 109.*

Renuntians simoniace puniri potest, & privari beneficio,
 non tamen perdit ipso jure illud, quia renuntiatio est nulla.
 Nav. *c. 23. n. 105. Nec obstat constitutio Pii V. quæ de acqui-*
rentibus simoniacè, non de resignantibus loquitur.

Bulla Pii V. qua adeptus officium, aut beneficium simonia-
 ce, fit inhabilis ad alia, intelligitur in foro exteriori, Nav. *conf.*
34 de simon. Paris. de resignat. lib. 4. quest. 2.

Qui simoniacè beneficium accepit, in foro conscientie te-
 netur beneficium relinquere, & fructus etiam consumptos
 restituere, Vid D. Thom. *l. c. art. 6. ad 3 de simoniaco. cap. de res-*
gular. de simon. c. ordinationes 1 quest. 1. Covar. l. c.

Quæres: Quæ sint pœnæ simoniacorum Resp. à DD. nu-
 merari septem Prima est pœna æterna, nam omnis simonia in
 suo genere est peccatum mortale. 2. est restitutio pretii, & resi-
 gnatio rei spiritualis, cum potest resignare. 3. excommunica-
 tio latae sententiae. 4. suspensio ab ordine & beneficio. 5. Infa-
 mia 6. inhabilitas ad beneficium simoniacè acceptum. 7. pri-
 vatio omnium beneficiorum, etiam justè acquiritorum, & ad
 omnia inhabilitas, ita habetur *in decreto 1 canon requiruntur*
& in decretalibus can. de hoc. & in extravag. cum detestabil &
in Bulla Mart. V. in Conc. Constant. sess 45 & Pii V. apud Nav.
cap. 13 n. 14.

Quæres: An mentales simoniaci incurrant has pœnas Re-
 spond duplicem esse mentalem simoniã, 1. est, qua quis cupit
 emere vel vendere rem spiritualem, sed non facit, & hæc tan-
 tum incurrit pœnã externã. 2. est qua quis cupit emere, & fa-
 cit, sed sine ullo pacto adjuncto. Et de hac controversum est
 inter DD. an obligetur ad restitutionem, aliasque Juris pœ-
 nas Sot *lib 9 quest. 8. art 1. & Adrian. quodlib. 9. & alii putant,*
 obligari. 1 quia quidquid est simoniacè acceptum, est injustè
 acceptum, ergo debet restitui. 2. quia usura mentalis obligat

Rr 5

ad

ad restitutionem, ut habetur *t. consulit. tit. de usury.* ergo & simonia mentalis. Sed communior sententia est S. Tho. *quæst. 10. a. 9.* & Cajet. *ibid.* & Nav. *c. 23.* Sylv. *v. simonia q. 20.* Innocent. Panorm. Joan. And. *in d. simonia* docent, nec in externo, nec in interno foro, obligare ad ullam pœnam juris. Ratio est, quia *in cap. fin. de simon.* Gregorius XI. disertè docet, mentales simoniacos non teneri ad restitutionem, & addit, solam eorum pœnitentiam sufficere coram Deo. Soro queritur, rextum esse corruptum, vitio typographi. Verum olim ita legit Innocent. qui tempore Gregorii IX. vixit, & ei in Pontificatu successit, & D. Tho. qui fuit paulò post, & omnes veteres Interpp. ita legunt. 2. probatur ratione, quia obligatio ad restitutionem non sequitur, nisi acceptionem per se injustam: ac acceptio, quæ in hac mentali simonia est, est per se justa, cum sit ex dono gratiæ & injusta tantum per accidens, ratione intentionis, ut declaratur exemplo Nam si tortor suspendat furem justè à iudice damnatum, sed intentione perversa, quia est inimicus ejus, peccat quidem, sed non tenetur restituere, quia occisio illa fuit tantum injusta per accidens, justa verò per se. Ad rationem autem jam respondit Sor. acceptionem illam tantum esse injustam per accidens. Ad 2. respondeo, Usurarium teneri ad restitutionem, quia accepit usuram ab invito, dans enim usuram dat ut redimat vexationem, neque enim qui dat, intendit voluntariè dare. At qui dat simoniacè voluntariè dat saltem exterius, secundùm formam doni, licet interius dat animo emendi. Emere autem natura sua est contractus voluntarius. Hæc Buisus.

Quæres: Sine simonia, si canonicus novus, ratione statutorum, vel consuetudinis dare cogatur certam pecuniæ summam pro Ecclesiæ fabrica. Resp. 1. esse simoniam, si ratione statutorum aliquid solvatur. Et ratio est, quia illa solutio videtur introducta ratione taxationis, at taxatio est verita, *can. ex multis l. 9. 3.* Respondent alii quidam, esse quidem simoniam, si id quod solvitur, dividatur inter canonicos, non tamen esse, si convertatur in omnem Ecclesiæ utilitatem. Sed hanc distinctionem refellit Panorm. *ibid.* eo, quod *in d. can. ex multis.* Alexander Papa disertè prohibeat, ne quis audeat aliquid pro Ecclesiæ beneficio recipere, et si detur pro fabrica Ecclesiæ, vel pro pauperibus. Resp. 3. si ratione consuetudinis aliquid solvatur in usum Ecclesiæ, id sine ulla simonia fieri posse. Ratio discriminis est, quod statutum est, non habet principium

voluntarium, sed necessarium, consuetudo verò habet voluntarium principium, ut pote, cum ex pietate Canonici noviderunt aliquid usibus Ecclesiæ applicandum, ex quibus voluntariis oblationibus tandem nata est consuetudo laudabilis. Conc. verò Trid. *sess. 24. de reform. c. 14.* videtur æquare statutum consuetudini, ut bene observavit Nav. 23. *man. nam.* xxi. cum mandat consuetudines cum receptione Canonico- rum servari solitas ab Episcopo examinandas, & laudabiles approbandas. Quare non est necesse, sequi distinctionem illam Panorm. sed simpliciter asserere possumus, non committi simoniam, si aliquid pro Ecclesiæ fabrica exigatur, ut docet Navar. Hæc Busæus.

Societas contractus.

1. Societas est conventio duorum vel plurium conferentium suam pecuniam vel industriam, vel laborem, vel aliam rem pretio æstimabilem ad lucrum commune. Ad societatem hæc conditiones requiruntur, ut fundetur in negotiatione licita & honesta; ut singuli aliquid conferant in commune, sive conferant pecuniam, sive operam, sive industriam; ut servetur æqualitas inter socios, ita ut lucrum, expensæ, & damna sint communia omnibus ad ratam pecuniæ vel industriæ in societatem collatæ; ut fors seu pecunia quam socius in communem contulit, subiaceat periculo conferentis, illique pereat (est enim dominus, res autem domino perit,) nisi aliter justè conventum sit, & ut serventur pacta, quoties servari possunt, quia fides data, servanda est. *com. 2. de Contractibus, disp. 3. quest. 6. punct. 1. num. 1. & seq.*

2. Quæres: an qui societatem inicit, seque ad operas in una societate obligavit, peccet, & teneatur ad restitutionem, in eundo alias societates, suasque in iis operas impediendo? Non peccat, nec tenetur ad restitutionem, quoties hoc præstare potest absque præjudicio prioris societatis. *ib. n. 4.*

3. Contractus societatis regulariter celebrari potest ab iis qui facultatem habent disponendi ad suum libitum de rebus, quas conferunt ad societatem; & consequenter iniri potest societas inter patrem & filium, quando filius confert ad societatem bona castrensia vel quasi: aut quando pater ponit pecuniam, & filius operam & industriam. Item celebrari potest societas inter fratres, salvo tamen jure patris. At neque

pupillus, vel minor absque licentia tutoris, neque rationis infirmo, neque religiosus, cum non sit sui juris, neque Medicus cum infirmo, Advocatus cum cliente, tutor & curator cum pupillo & minore, &c. valide possunt societatem initiare. *Ibid. punct. 2. n. 1. & seqq.*

4. Quomodo faciendâ divisio in societate? Faciendâ est ad æqualitatem, habita ratione illius quod quisque contulit in societatem: propterea, qui æqualiter posuit pecuniam vel industriam, debet recipere lucrum æquale; in æquale verò, si non æqualiter posuit; at qui posuit solas operas, par non est, ut recipiat aliquid loco capitalis, cum nihil posuerit in sorte vel capitali. *Ibid. punct. 3. n. 3.*

5. Quæres, quomodo possit recipi lucrum ab eo, qui pecuniam posuit in societate, cum pecunia sit infœcunda & infrugifer? Respondetur non recipi lucrum ex pecunia, prout est pecunia & pretium rerum venalium, sed quatenus exponitur negotiationi periculo ipsius apponentis. *Ibid. n. 4.*

6. Damna, quæ patitur socius ex causa proxima societatis, debent esse communia, modò non eveniant ex levi culpa socii. Et si res societatis furto sublata fuerint, damnum debet esse commune, si absque culpa sociorum sublata fuerint. Item expensæ quæ non superflue fiunt à socio apponente industriam, faciendæ sunt ex communi pecunia societatis, nisi aliter conventum sit inter socios, aut aliter lege cautum, vel consuetudine receptum. Unde elemosynæ quas facit socius apponens industriam, si moderatæ sint & discretæ, fiantque intuitu felicitis exitus societatis, rationabiliter solvendæ videntur ex communibus lucris. *Ibid. punct. 4. num. 1. & seqq.*

7. Quando faciendæ sunt aliquæ expensæ in utilitatem societatis, socius tenetur eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab aliis petere, si non possit extrahi pecunia à societate ad eas faciendas; ipsi tamen competit jus repetendi à sociis, quod insumpsit, cum utiliter gesserit negotium societatis, non sicut si fuisset proprium negotium. *Ibid. n. 5.*

8. Petes, quid requiratur ad contractum societatis circa animalia? Ut unusquisque sociorum aliquid conferat in societatem, sive conferat animalia, sive custodiam, sive industriam; ut servetur æqualitas, ita ut damna, expensæ & lucra provenientia ex causa societatis sint communia; ut animalia stent periculo apponentis, ita, ut si pereant, pereant apponenti. Quare iniquus est contractus societatis, quo traduntur

que animalia hoc pacto, si pereant, æqualiter pereant apponenti & recipienti; si verò non pereant, capitale detur apponenti, fructus verò dividantur æqualiter. Iniquus est similiter ille contractus, quo quis tradit animalia pastori cum pacto, ut ea custodiat & pascat, & semper ferventur in eodem numero, ita, ut si aliqua pereant, compleatur numerus ex scœtib; & pastor in fine singulorum annorum accipiat dimidiam partem reliquorum scœtuum: in hoc enim contractu deesse videtur æqualitas, si pastoris industria pluris æstimetur, quam valeat numerus animalium ipsi constitutus & assignatus; secus si non pluris ipsius opera & industria æstimetur. *ibid. punct. 5. num. 2. & 3.*

9. Licita videtur societas, qua traduntur animalia hoc pacto, ut lucrum sit commune, & qui animalia recipit, nihil capiat, donec pretium animalium domino fuerit persolutum. *ibid. num. 4.*

10. Animalia, quæ culpa socii perierunt, restituenda sunt, juxta valorem & æstimationem; quam habebant tempore amissionis seu læsionis; nam ad dominum pertinet incrementum & decrementum rei, nisi aliud in jultum pactum deducatur; consequenter animalia restituenda sunt, juxta valorem quem habebant tempore amissionis, seu læsionis, cum animalia ad illud usque ad tempus essent domini, seu apponentis. *ibid. num. 7.*

11. Illicita est societas inita cum pacto, ut luerum dividatur, pretium verò ovium tradatur apponenti, juxta valorem quem oves habebant tempore traditionis, hoc tamen limita, nisi gravamen juxta mercede compensetur. *ibid. n. 9.*

Societas inter fratres.

12. Fratres defunctis parentibus habere solent bona indivisa per modum societatis, ita ut lucra & damna sint communia; quamquam hæc societas extendit se tantum ad bona hæreditaria, & ad lucra ex illis provenientia, nisi aliter deductum sit in pactum. Propterea si unus negotietur altero nihil conferente, non dicitur societatem cum altero inisse; imò si uterque negotietur, non videntur societatis contractum celebrasse, si nihil ad negotiationem conferant. Quare societas inter fratres extenditur solum ad ea quæ inter se fratres communicant, & in commune conferunt animo

Rr 5

conferen

conferendi in commune, non vero se extendit ad bona aliunde à fratribus acquisita. *ibid. punct. 7. n. 1.*

13. Fratres indivisi ex bonis communibus possunt facere sumptus ordinarios & competentes; extraordinarios vero non possunt; quamobrem si unus fratrum propter aliquod delictum cogatur solvere pœnam, non potest hos sumptus facere de communibus societatis bonis. *ibid. num. 4.*

14. Petes, quænam bona sint è fratribus ad partitionem adducenda seclusa societate? Respondetur bona tantummodo profectitia, quæ filius accepit à patre vel ab avo, cui succedit, adducenda esse à filio cum reliquis quibuscum succedit in hæreditate: bona vero castrensia, vel quasi, non sunt conferenda, quia dominium eorum pleno jure pertinet ad filium. Præterea bona adventitia quoad proprietatem similiter non conferuntur, cum pertineant ad filium quoad proprietatem. *ibid. §. unic. nu. 3.*

15. Filius tenetur cum aliis fratribus conferre, quæ à patre accepit causa dotis, vel ad ordines, vel titulo legati. Non tenetur, si velit ab hæreditate abstinere contentus re sibi tradita, sicut neque tenetur conferre quæ pater consumpsit in studio ipsius filii, quia hæc censentur condonata, nisi forte filius habuerit unde se aliunde sustentare potuerit. Idem dicendum de iis quæ pater illi tradidit præ aliis ad cibum, vestitum, equitatum, & ludum; imò & de libris vivente patre traditis, & expensis factis ratione convivii à patre facti occasione sacri à filio celebrati, vel occasione Doctoratus adepti, vel professionis in religione; secus de vestibus pretiosis, torquibus, arreis, & aliis largitionibus sponsalitiis factis propter nuptias, aut propter redemptionem filii à captivitate; hæc enim adducenda sunt in divisione patris hæreditatis. *ibid. n. 4. & seq.*

A D D I T I O.

De societate Lopez. *de contract. l. 1. à c. 61. Sot. l. 6. q. 6. n. 1. Tol. l. 5. c. 41. Nav. c. 17. à n. 251. Cajet. & D. Thom. 2. 2. q. 78. Garz. c. 41. Mol. ad 411 Covar. l. 3. var. Bannes qu. 78. art. 3. vid. Tol Nav n. 2. 252. l. c. Mol. d. 416.*

Societas in dubio intelligitur contracta secundum consuetudinem, Mol. *l. c. n. 2. Lopez. l. c. n. 64.*

Dissoluta societate (dissolvitur autem unius morte, aut perditio

perdito capitali fere toto) nisi aliud sit conventum, reddito capitali ei, qui posuit, solutisque debitis factis ab aliquo, nomine societatis, lucrum pro rata dividendum. vid. Lopez. *l. 5. 6. 7. Dissolutio*) vid. Mol. *d. 144. Lop. l. c.*

Societates officiorum Romae solite fieri, non possunt fieri ultra valorem officiorum. Ex Pio IV. vid. Tol. *l. 6. cap. 40.*

De societate animalium Lopez. *c. ult. Mol. 410. Gart. l. c.*

Verum de hoc contractu quaerit Busæus, An licitus sit hic contractus in animalibus, ut bobus, ovibus, capris, cum traduntur in societatem ad pactum. Respond. cum Sylv. *v. societas. Conrad. q. 90. Anton. 2. p. titul. 1. cap. 7. § 30. Navar. n. 261.* esse licitum, id est, neque usurarium, neque injustum, si duæ adsint conditiones, 1. si illa animalia tradita in societatem subjaceant periculo tradentis, & non recipientis; modo à recipiente omnis absit dolus, & culpa. 2. Si iis conditionibus ineatur illa societas, ut boni viri arbitrio neutra pars nimium gravetur, hoc est, ut damnum & lucrum, secundum proportionem sit commune tradenti, & recipienti. Verum infert Conrad. duo: 1. Si consuetudo alicubi sit recepta, ut recipiens etiam dimidiam partem animalium in societatem traditorum pro se accipiat (modo commoda & damna utrimque sint communia, & alia pacta injusta non interveniant) posse licitum esse contractum 2. est, justum fore contractum, quando v. g. Petrus à Joanne emit bovem duorum annorum, & relinquit ipsi Joanni in societatem, cum conditione, ut post biennium vendatur, & Petrus primo recipiat suam pecuniam quam exposuit, deinde lucrum meliorationis commune habeat cum Joanne. Busæus.

Sodomia,

1 Sodomia propriè accepta est coitus inter personas ejusdem sexus, estque peccatum turpissimum & gravissimum; & clericus exercens hoc nefandum crimen meretur pœnam depositionis; non incurrit tamen suspensionem vel irregularitatem quædiu delictum est occultum, cum hoc non habeatur in jure expressum. Debet Confessarius severum se exhibere erga Sodomitas, nec facillè absolvere; est enim casus reservatus quando masculus abutitur masculo, aut quando femina sese supergrediuntur, & recipiunt fomen intra vas naturale vel præposterum. Explicanda est persona in

con-

confessione cum qua perpetrata fuit Sodomia; nam commissa cum religioso, aut Sacerdote, aut consanguineo, habet aliam malitiam Sodiomiæ, videlicet sacrilegii, incestus. &c. tom. 1. de his, quæ pertinent ad usum matrum, q. 5. punct. 11. num. 1. & seq.

2. Vir conjugatus qui præpostero actu incipit cognoscere suam uxorem, sed actum perficit & sæminat in vase naturali, peccat mortaliter, & propter attentationem hujus peccati, Canones sentiunt posse uxorem petere divortium à marito. *ibid.* n. 12.

A D D I T I O.

Quæres, Quale sit hoc, & quotuplex peccatum, Resp. 1. Est concubitus carnalem extra vas feminæ factum. Resp. 2. Quadruplicem esse posse hujusmodi concubitus, 1. Masculi cum masculo, vel feminæ cum femina, & dicitur peccatum sodomiticum. 2. Est hominis cum bruto, & dicitur bestialitas. 3. Est masculi cum femina in vase non debito. 4. Est per simplicem pollutionem, quæ dicitur mollities apud Apostol & immunditia. Et hæc quatuor genera peccatorum in confessione esse exprimenda, eo, quod specie sint distincta, secundum probabilem DD. sententiam. Hæc Busæus.

Sollicitars, Sollicitatio.

Vide v. Denuntiatio.

Spes.

1. Spes est virtus Theologica & supernaturalis, qua speramus beatitudinem divino auxilio obtinendam. Dicitur *Theologica*; quia versatur circa Deum tamquam circa objectum, opponiturque præsumptioni, quæ ex suo genere est peccatum mortale, nec à mortali excusatur ob parvitatem materiæ, quia gravem continet inordinationem & injuriam. tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quasi. 3. punct. 1. num. 1. & seq.

2. Differens pœnitentiam usque ad mortem spè veniæ obtinendæ, potius peccat contra præceptum pœnitentiæ quam contra præceptum spèi: quia hic tantum differt conversionem suam. *ibid.* num. 6.

3. Præ-

3. Præceptum spei negativum obligat semper & ad semper; affirmativum vero quando insurgunt tentationes contra spem cum periculo desperationis. *ibid. punct 2. n. 2.*

4. Is cui fieret revelatio damnationis suæ, non videtur posse vel debere amplius sperare, imò potest desperare sine mortali peccato, modo tamen negotio futuræ beatitudinis non reducatur in defectum omnipotentiae vel misericordiae Dei. Ratio est, quia impossibile est sperare id quod non est possibile, videlicet afflictionem beatitudinis supposita revelatione damnationis. *ibid. num 4.*

5. Actus desperationis potest aliquando subsistere sine peccato hæresis, v. g. si quis dicat nihil iudicando contra fidem, *Deus non me salvabit: vel numquam bine agam. ibid. num, 5.*

Sponsalia, Sponsus.

Vide v. *Matrimonium.*

1. Sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonii, v. g. quando uterque sponsus dixit, Ducam vel accipiam te in conjugem; vel promitto tibi matrimonium, censentur celebrasse sponsalia, eo quod adstet mutua promissio. *tom. 1. de Sponsalibus. q. 1. punct. 1. n. 1.*

2. Ad validitatem sponsaliorum tres requiruntur communiter conditiones: ut promissio sit voluntaria, sit mutua & accepta, & aliquo signo externo sufficienter manifestata. *ibid. n. 2. Unde*

3. In sponsalibus non sufficit propositum, sed requiritur promissio, & quidem deliberata, cum enim obligent sub mortali, requiritur deliberatio sufficiens. *ibid. nu. 3. 4.*

4. Sponsalia non obligant, quando promittens ignorabat obligationem sequi ex promissione. Imò non tenetur ducere, si sciebat obligationem sequi ex promissione, sed ipse promittens expresse noluit obligare. *ibid. num. 5.*

5. Expresse voluntas se obligandi non semper requiritur in sponsalibus, sed sufficit tacita & implicita. *ibid.*

6. Promissio regulariter non obligat antequam acceptetur: habet enim hanc tacitam conditionem, *si alter acceptaverit.* Potest quis se obligare independentem ab alterius re-promissione. *ibid. n. 6. q. 2.*

7. Pro-

7. Promissio in sponsalibus debet exterius manifestari; nam promissio fit homini, qui non potest obligationem acquirere, nisi signo aliquo externo sibi manifestetur, & quidem sufficienter; sive hoc signum sit verbum, aut factum, aut nutus, sive aliquid illi æquivalens. Taciturnitas, per se loquendo, non habetur pro expressione consensus; nisi forte alicubi constet ex consuetudine, vel lege, taciturnitatem accipi pro expressione consensus. *ibid. n. 9. & seq.*

8. Consensus non sufficienter videtur exprimi per hæc verba: *Non dicam aliam præter te*, cum hæc verba faciunt sensum conditionatum; *ibid. nu. 13.*

9. Quando verba in sponsalibus habent duplicem sensum, explicanda sunt in foro conscientie juxta intentionem secundam quam præferuntur. Quod si dubitetur an adfuerit animus se obligandi, judicandum est quod adfuerit; quia nemo præsumitur dicere, quod in corde non habet. *ibid. num. 14. & 15.*

10. Matrimonium, vel sponsalia valida sunt, quando verba significant consensum de futuro, & sponsi adhibent illa ad significandum consensum de præsentibus, & è contra non sunt tamen valida, quando ab altero contrahentium accipiuntur juxta communem significationem. Quod si verba dubia sint, & non constet de intentione proferentium, contrahentes compellendi sunt ad servanda verba in eo sensu, quem recte intelligentes solent communiter ex iis verbis percipere; aut standum est iudicio fori externi; modo non innitatur falsæ præsumptioni. *ibid. num. 16. & 17.*

11. Hæc verba, *habebo te in uxorem*, in foro externo explicanda sunt pro sponsalibus; in foro vero interno standum intentioni contrahentium. Illa vero verba, *ex hoc tempore, vel, semper, vel deinceps, vel omnibus diebus vite meae habebo te in uxorem*, explicanda sunt pro matrimonio de præsentibus. *ibid. num. 18.*

12. Ex veris sponsalibus oritur obligatio sub mortali ad ipsa adimplenda, & sponsalia voluntarie & scienter celebrata à nobili vel divite, cum ignobili vel paupere obligant. *ibid. punct. 2 n. 1. & 2.*

13. Ficta promissio est ea quæ fit sine animo promittendi, cum animo non se obligandi, quod si facta sit cum juramento, servanda est quando juramentum factum fuit animo jurandi & se obligandi. *ibid. n. 3. 4.*

14. Vir non tenetur ducere feminam quæ simulabat se virginem aut divitem, eumque decepit ficta promissione extorquendo copulam. Similiter non tenetur ducere feminam malæ famæ, cum qua sub ficta matrimonii promissione copulam, habuit. Item vir qui fictè promisit, extorquendo copulam, non tenetur ducere feminam quæ est notabiliter impar nobilitate aut divitiis, si mulier sciebat disparitatem & inæqualitatem. Idem dic quando ambobus sunt pares genere, sed notabiliter impares divitiis. Imò adhuc non tenetur vir eam ducere quam decepit, etiamsi femina ignorabat inæqualitatem status. damnatum enim amissæ virginitatis non tanti æstimatur; nec conferendum est cum damno, quod pateretur vir longè superioris conditionis ducendo feminam multo inferiorem. *ibid. num. 5. & seq.*

15. Ad nihil tenetur vir qui vult ducere feminam cui fictè promisit, sed parentes aut ipsa recusat: nam per virum non stat, ne promissio adimpleatur. *ibid. nu. 10.*

16. Femina ut plurimum non tenetur ducere virum, à quo extorsit copulam ficta promissione matrimonii. *ib. n. 11.*

17. Qui dubitat an promiserit, vel an verba contineant promissionem, non tenetur stare sponsalibus, si dubium adhuc perseverat post factam diligentiam ad cognoscendam veritatem. *ibid. num. 12.*

18. Qui promisit seu sponsalia contraxit, tenetur stare promissioni seu sponsalibus, quando dubitat utram promiserit animo se obligandi. Ratio est, quia actus præsumitur factus secundum suam naturam, nec ullus præsumitur dicere quod non habet in mente. *ibid. n. 13.*

Sponsalia incerta.

19. Sponsalia incerta non sunt proprie & perfecte sponsalia. Nomine *incertorum sponsalium*, intellige ea quæ fiunt cum persona incerta & indeterminata, seu quæ fiunt cum pluribus sub disjunctione, ut quando Cajus promittit tribus vel quatuor filiabus Titii se unam illarum ducturum; & ipsæ similiter repromittunt. *ibid. punct. 3. n. 1. & 2.*

20. Sponsalia incerta redduntur certa & perfecta per determinationem & electionem promissoris, qua posita statim inducitur impedimentum publicæ honestatis post Concil. Trid. sess. 24. c. 1. *ibid. n. 3.*

21. Ex sponsalibus incertis confurgit obligatio adimplendi sponsalia, potestque aliquis compelli ad servandam promissionem. Verum si una ex illis quibus promisit, reneat, promissor non tenetur aliam ducere. *ibid. n. 4.*

22. Pater qui promisit Cajo unam ex quatuor filiabus suis, non tenetur aliam tradere, si interim Cajus copulam habeat cum una earum: est enim impedimentum affinitatis cum reliquis.

Neque pater qui Cajo promisit unam ex quatuor filiabus suis, tenetur alteram tradere, si Cajus unam à patre electam & oblatam respuat. *ibid. num. 5. & 6.*

23. Aetas septem annorum requiritur tam in masculo quam in femina, ad celebranda sponsalia; & celebrata ante septennium, sunt invalida, tam in foro externo quam interno; nisi adsit sufficiens usus rationis, & malitia suppleat ætatem. Imò sponsalia contracta, etiam post septennium, quando uterque sponsus, vel alter illorum nondum attingit usum rationis, sunt invalida. *ibid. punct. 4. n. 1. 2. 3. & 5.*

24. Contrahentes sponsalia ante septennium, peccant mortaliter; similiter impuberes contrahendo matrimonium ante pubertatem malitia non supplente ætatem. *ib. n. 6. & 7.*

25. Parentes, aut alii, v.g. tutores, consanguinei, &c. possunt contrahere sponsalia pro filiis qui nondum pervenerunt ad septennium; regulariter tamen non tenentur filii stare sponsalibus pro se contractis à parentibus, vel tutoribus, &c. nec ullatenus ad standum compellendi sunt. *ibid. n. 8. & 9.*

26. Ad validitatem matrimonii requiritur in masculo, ut annus decimus quartus moraliter sit completus: censent autem completus, quando duo vel tres dies deficiunt: in femina vero 12. anni sufficiunt; quia potentia generandi citius reperitur in feminis quam in viris. In casu necessitatis Episcopus dispensare potest circa ætatem. *ibid. n. 10. & seq.*

Sponsalium rescissio.

27. Obligatio in sponsalibus contracta cessat his de causis: Ob ingressum in religionem, ob votum simplex castitatis, aut sacrorum ordinum: ob ætatem, aut lapsum termini, aut discessum in longinquum; ob dolum, metum, aut matrimonium subsequens cum alia celebratum, aut impedimentum dirimens matrimonium: ob fornicationem supervenientem

venientem: ob mutuam consentium: denique ob conditionem non ad impletam *ibid. punct. 5. n. 1.*

28. Sponsus ingrediens religionem non tenetur postea ducere sponsam si egrediatur: nam obligatio sponsaliorum extincta fuit, nec postea reviviscit. *ibid. num. 3.*

29. Qui contraxit sponsalia cum juramento, potest ingredi religionem ante contractum matrimonium, nisi aliud obstat, v. g. copula habita: ingressus enim religionis in hoc casu est illicitus, cum fiat cum injuria alterius; nec refert quod voverit ingredi post copulam habitam. *ibid. n. 4. & 5.*

30. Votum religionis factum à sponso postquam à sponsa copulam extorsit, obligat, etiam post dissoluta sponsalia aut matrimonium, mortua uxore. *ibid. n. 6.*

31. Qui factò voto religionis vel castitatis virginem defloravit, tenetur potius cum ea matrimonium contrahere (si illa votum ignorabat) quam votum adimplere. *ibid. num. 7.*

32. Secunda sponsalia servanda sunt, quando habita est copula cum secunda sponsa, si illa grave damnum subiret, prior vero non item. *ibid. n. 8.*

33. Habens votum simplex castitatis vel religionis, peccat mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendi religionem, antequam matrimonium consummet. *ibid. num. 11.*

34. Potest quis vovere castitatem, animo dissolvendi sponsali utitur: enim jure suo, & meliorem vitæ statum eligit. Item qui factis sponsalibus vovit castitatem, sed postea voti dispensationem obtinuit, non tenetur stare sponsalibus, cum jam fuerint extincta, nec amplius reviviscant. His adde secunda sponsalia invalida servanda non esse, si priora valida dissolvantur. *ibid. n. 14. 16. & 17.*

35. Sponsus qui post celebrata sponsalia cum una, contrahit matrimonium cum alia, non tenetur mortua uxore ducere priorem sponsam. *ibid. n. 18.*

36. Sponsalia rescindi possunt, si unus ex sponsis voveat castitatem, salvo jure alterius. *ibid. n. 19.*

37. Qui vovit sacros ordines, non tenetur servare castitatem antequam illos suscipiat, alioqui à pari vovens ingredi religionem, tenetur ad jejunia & ad alia onera religionis antequam ingrediatur. *ibid. nu. 2.*

28. Ille qui erat pubes tempore sponsaliorum, non potest ratione ætatis præcisè resiliire à sponsalibus, etiam si impubes

bes consentiat: secus dicendum de impubere. Sponsalia dissolvuntur quando impubes ante pubertatem dissensit, non verò acquisita pubertate. *ibid. punct. 6. num. 2. & 3.*

39. Sponsalia impuberum cum juramento celebrata dissolvi non possunt, ratione ætatis præcisè acquisita pubertate. Reclamatio & contradictio ad solvenda sponsalia fieri debet apud Episcopum, vel ejus Vicarium, aut personam honestam. *ibid. n. 4. & 5.*

40. Sponsalia possunt dissolvi per moram & dilationem alterius, quando nullus terminus fuit præfixus ad perficienda sponsalia. Sponsalia quamvis facta sint cum juramento, dissolvi possunt per discessum alterius sponsi in longinquum absque licentia alterius. *ibid. n. 7. & 8.*

41. Dissoluto matrimonio per mortem conjugis, adimplenda sunt priora sponsalia jurata, & hoc ratione juramenti. *ibid. punct. 7. n. 3.*

42. Priora sponsalia non dirimuntur per posteriora, sicut dirimuntur per matrimonium, quia nullus obligari potest ad id, quod sine peccato præstare non potest. *ibid. n. 4.*

43. Sponsalia etiam jurata dissolvuntur per impedimentum dirimens matrimonium; quale impedimentum est error personæ; affinitas superveniens, &c. & etiam fama publica de impedimento, aut scandalum. *ibid. n. 5. & 6.*

44. Sponsus qui post celebrata sponsalia contrahit impedimentum, tenetur illius dispensationem impetrare quando id commodè potest. *ibid. n. 9.*

45. Valida sunt & conditionalia sponsalia contracta sub conditione; Si Papa dispensaverit in impedimento. Item sponsalia clandestina valida sunt; neque illa contrahentes peccant mortaliter. *ibid. n. 10. 12. & 13.*

46. Sponsus potest resilire à sponsalibus, non solum si femina fornicetur, sed etiam si permittat se ab alio impedire tangi, ut per amplexus, oscula, &c. Idem dic, etiam si fornicatio est involuntaria, & per vim cognita fuerit. *ibid. punct. 8. n. 1. & seq.*

47. Quando uterque sponsus fornicationem commiserit, neuter potest à sponsalibus resilire. *ibid. n. 6.*

Sicut sponsalia dissolvi possunt ob fornicationem corporalem, ita etiam ob spirituales. ut ob hæresim, vel apostasiam. *ibid. num. 7.*

48. Rescindi possunt sponsalia, quoties notabilis mutatio

no supervenit: qualis est morbus lepræ superveniens, paraly-
sis, morbus Gallicus, amissio oculorum, nasi, notabilis defor-
mitas, foetor oris valde magnus, paupertas notabilis, crimen
aliquod turpe, sævitia sponsi, adventus gravis & capitalis ini-
micitæ inter sponsos, si quæ putabatur virgo aut dives, est
defflorata & pauper. Imo possunt adhuc rescindi, quando post
sponsalia incipit cognosci aliqua causa, qua cognita non fuis-
sent celebrata. Secus dicendum, si qui vult resilire, ea cau-
sa cognita, adhuc sponsalia celebrasset. *Ibidem num. 8 & seq.*

49. Non tenetur stare sponsalibus qui dubitat an tempore
celebrationis sponsaliorum haberet voluntatem promitten-
di, si cognovisset aliquod vitium; hæc enim est notabilis mu-
tatio, maximè si vitium est grave. *Ib. n. 20. & 21.*

50. Valida sunt sponsalia per dolum tantummodo incidentem
tem celebrata, si sponsus cognito dolo adhuc illa celebrasset.
Ib. punct. 9. n. 3.

51. Sponsalia celebrata per metum levem incussum ad illa
extorquenda, dissolvi possunt in foro conscientie: in iure ta-
men non habetur ratio metus levis. *Ibid. num. 6.*

52. Ut sponsalia mutuo consensu dissolvantur, remissio ut-
riusque debet esse libera; est enim veluti quædam donatio
quare si alter ex metu incusso remittat obligationem, sponsa-
lia non dissolvuntur. *Ibid. punct. 10. n. 1. & seq.*

53. Sponsalia dissolvuntur, quando non adimplentur con-
ditiones, sub quibus celebrata fuerunt. Quando sponsa-
lia cum juramento celebrata dissolvuntur, si natura rei spe-
detur, non est opus iudicis auctoritate aut relaxatione sacra-
menti; sed rescindi possunt auctoritate propria, si causa disso-
lutionis est publica: si sponsalia sunt publica, vel si causa est
occulta, & simul etiam sponsalia occulta. Non poterunt ta-
men propria auctoritate rescindi, quando dubitatur an adsit
iusta causa. Imò, etiam si adsit iusta causa, dissolvi non pote-
runt, si sponsus postea carnaliter cognoscat sponsam. Ad di-
tinnenda sponsalia in foro conscientie sufficit dictum unius
testis. *Ibid. num. 4. & seq.*

54. Habens copulam cum sponsa alterius, tenetur hanc cir-
cumstantiam in confessione explicare, ratione injuriæ sponso
illatæ, *Ib. n. 13.*

55. In sponsalibus apponi non potest pœna solvenda ab

eo qui fregerit fidem sponsaliorum, etiamsi cum juramento appositum sit sponsalibus; peccantque mortaliter qui apponunt poenas in sponsalibus; nam faciunt contra libertatem matrimonii. Qui tamen respiceret poenam in sponsalibus appositam, non teneretur ad restitutionem illius ante sententiam iudicis, & invalida esset promissio illius qui diceret: *Promitto tibi sub tali poena me non contracturum matrimonium cum Titio. ibid. punct. ult. num. 1. & seq.*

56. Interesse damni emergentis peti potest ab eo qui dissolvit sponsalia, ratione iniustitiae commissae ab iniuste violante fidem sponsaliorum. *ibid. n. 6.*

A D D I T I O.

Quæres: An sponsalia Catholici cum hæretica subsequente copula transeant in matrimonium Navarr. negat. 1. Quia omnis promissio rei turpis est ipso jure nulla. 2. 2. q. 6. *Qualiter. ff. de verb. sign. At & c. Quia in c. non solum. 28. q. 1. dicitur, sponsalia dissolvi per supervenientem hæresin, sed in matrimonio plus obstat impedimentum præsens, quam superveniens, E. sponsalia illa dissoluta, & nulla sunt. Busæus.*

Quæres de peccatis, quæ sponsi inter se committere possunt, ante contractum matrimonium. Cajetan. *in summ.* hanc dat regulam, ut quoties in matrimonii usu peccatur mortaliter, multo magis peccetur à sponsis, quando minorem potestatem habent. Quod ad oscula vero, & amplexus, quæ sunt inchoationes ad copulam carnalem, si à sponsis fiunt ex benevolentia, nullum peccatum committi, secus, si cum periculo probabili, vel copulæ, vel pollutionis, ea fiant, unde cum raro absit tale periculum, numquam debent simul habitare, vel eo loco simul versari, ne sit occasio peccandi mortaliter. Ita Navarr. *cap. 16. nu. 12.* & Cajet. *354. art. 4.* Busæus.

Quæres: An in dissolutione sponsaliorum debeat intercedere iudicis auctoritas sive sententia. Quidam Canonistæ, teste Nav. *l. 2. n. 28.* putarunt ordinariè esse necessariam auctoritatem iudicis. D. Thom. dicit, in duobus casibus illa auctoritate opus non esse, 1. est cum emittitur professio in religione. 2. quando sponsalia cum alio contrahuntur per verba de presenti. Resp. 1. Si sponsalia fecerit occulta, &

qui ea contraxit, certus est causam esse sufficientem dissolutionis, non est necessaria iudicis auctoritas. Ita Rich. Palud. Ant. Nav. si autem dubitet de sufficientia causæ, consulat Jurisperitum, & si adhuc dubius maneat, denique imploret iudicis auctoritatem. Resp. 2. Si sponsalia sint publica, & causa sufficiens ad ea dissolvenda eaque publica, non requiritur iudicis auctoritas, ut si fornicatio sponsæ sit manifesta. Ita Rich. Palud. Nav. & alii. Addit Palud. etiam iudicis auctoritate opus esse, si causa sit occulta, sic, ut in iudicio nequeat probari, quod verum est si omne adsit scandalum. Et idem dicendum, quando causa quidem in iudicio probari potest, sed non sine periculo probabili alicujus magni damni, tunc enim opus est iudicis sententia. Hæc Buseus.

Quæres: An sponsalia possint contrahi à parentibus pro filiis Resp. 1. Non posse ante septennium completum, *c. 1102 fraternitas, de despons. impub.* ac proinde talia sponsalia valida non sunt. Resp. 2. Nihilominus in foro exteriori huiusmodi sponsalia ante legitimam ætatem filiorum contracta, haberi pro ratis, quia iudicatur confirmatum à filiis, quando pervenientes ad ætatem legitimam promissioni parentum non contradixerint. Dixi, *in foro exteriori*, quia in foro conscientie revera non sunt sponsalia, nisi in animo filii verè consentiant, qui etiam parentibus hoc iure consentire non tenentur, nisi forte aliquid interveniat, quod ipsos iure obligare possit. Ex decencia tamen ferè semper tenentur, ob præceptum de honorandis parentibus, ut benè docet Sot. Buseus.

Quæres: An parentes in virtute prioris contractus teneantur cogere filios ad consensum? Resp. neque teneri, neque posse, licet teneantur bono ac humano quodam modo efficere, ut filii consentiant. Resp. 3. Quando parentes contrahunt pro filiis præsentibus, & tacentibus, si modo sint in ætate legitima, vera & valida contrahi sponsalia. *c. fin. de despons. impub. in 6* Ratio, quia iure naturali propriè ad parentes spectat cura filiorum, usque ad ætatem legitimam, & eorum consensu actum præsumitur, quidquid à parentibus factum est, ut docet Covar. *lib. 3. resol. c. 14. n. 3* In quem sensum paterna oblatio filii in monasterio obligat ad ibi manendum usque ad annum ætatis decimumquartum. Buseus.

Quæres: An clandestina sponsalia sint valida & licita. Resp. 1. Esse grave peccatum sponsalia contrahere clandesti-

na. Ita Cajet. v. *sponsalia. c. cum inhibetio. de sponsal.* Ratio, quia ex talibus sponsalibus sæpè multa scandala & incommoda sequuntur. Resp. 2. Sponsalia publicè contrahenda secundum morem cujusque regionis. Resp. 3. Esse rata, & valida, etiam in locis, ubi promulgatum est Concil. Trident. Busæus.

Quæres: Utrum si parens prius dissentiat, postea consentiat, sponsalia sint valida. Sot. in 4. *dist. 29. q. 2. art. 3.* putat, priori standum esse voluntati, quod verum est, nisi novus deinceps accesserit sponsorum consensus. Idem habet Sylv. & est communis Canonistarum. Probatum ex *l. si bonus. §. hoc sermone. ff. de verb. signif.* Quod si pater, ubi audierit sponsalia esse contracta à filio, taceat: putant multi DD. cum Sylv. paterna taciturnitate adimpletam conditionem, quia qui tacet, consentire videtur. Ang. & Nav. *c. 22. ma 63.* melius negant, nam regula juris est, in 6. *Is qui tacet, nec fatetur, nec negare videtur, & c. cum in jure de offic. delegat.* factum non præsumi, nisi probentur. Hæc Busæus.

A D D I T I O,

Stabularius.

Stabularius potest cogi per judicem, ad recipiendum iudicem.

Tenetur pro damno dato in rebus à suo famulo, non aliter pro vulnere.

Tenetur pro deposito perduto etiam culpa levissima, secundum quosdam, at secundum alios solum de levi. Idem sentiendum de nauclero & caupone. Deposito autem censetur: quod in ejus, vel domesticorum ad id deputatorum præsentia ponitur; Qui vero deposuit rem clausam, probabit, quid fecerit intus, nec stabitur ejus juramento. Quod si recepit hospitio sine mercede, solum tenetur de dolo, & lata culpa, & si dedit clavem cubiculi, non tenetur) vid. Lopez. *p. 55. c. 97. Nav. c. 17. n. 17. Mol. dist. 527.*

Stuprum. Stuprator.

1. Stuprum strictè acceptum est concubitus viri cum virgine femina, quo virginalis carnis integritas violatur, sive puella

puella consentiat, sive sit invita. Hoc peccatum habet malitiam specie distinctam à fornicatione necessariò explicandam in confessione (quamquam in hac propositione divisè sint Doctores;) propterea in confessione explicanda est circumstantia virginittatis feminae. *tom. 1. de iis, quæ pertinent ad usum matrimonii, q. 4. punct. 17. n. 1. 2. & 3.*

2. Puella corrupta per actus interiores, ut per delectationes venereas, aut per voluntariam pollutionem potest velari & sacrari; secus dicendum si per copulam corrupta fuit, dummodo per vim oppressa non fuerit; nam tunc adhuc velari potest si copula occulta fuit. Quod puella occultè carnaliter cognita veletur, tenetur postquam fuit velata abstinere ab officiis virginum, si commodè potest absque scandalo & infamia. In aliquibus locis usu receptum est, ut dispensatio petatur, quæ consuetudo tenenda est ubi viget, *ibid. n. 4. & seq.*

3. Qui per vim, aut fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à puella extorsit absque promissione matrimonii, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare, ut æquè bene nubat, ac si virgo esset. *ibid. n. 7.*

4. Stuprator non tenetur ad restitutionem, quando femina per vim vel fraudem deflorata æquè bene nupit, ac si non fuisset deflorata, eo quod stuprum fuerit occultum; secus dicendum quando violator cognovit feminam per vim, vel fraudem, quæ alias fuerat quidem cognita ab alio, sed publicè habebatur virgo, & illa ratione istius infamiae non potest ita commodè nubere. *ibid. n. 8. & 9.*

5. Stuprator non tenetur ad restitutionem faciendam puellæ vel parentibus, quando puella condonavit stupratori obligationem restituendi, quia puella potest cedere juramento suo. *ibid. n. 10.*

6. Qui vi ita sollicitavit puellam ad copulam, ut ob id fuerit illi causa infamiae, tenetur vel ducere vel dotare, ita ut æquè bene nubat, ac si sollicitata non fuisset. *ibid. num. 11.*

7. Quando puella vi corrupta aut ejus parentes nolunt eam tradere stupratori, stuprator tenetur eam honestè dotare, liberum est enim puellæ accipere eum in conjugem, aut dotem. *ibid. nu. 12.*

8. Qui copulam extorsit precibus, muneribus & blanditiis, non tenetur ad restitutionem puellæ aut patri, modo nulla adfuerit vis aut coactio. *ibid. nu. 13.*

9. Filius non peccat, per se loquendo, non obediendo patri in iis quæ pertinent ad vitæ statum, ut in materia religionis, aut matrimonii; per accidens tamen posset etiam in his peccare filius non obediendo patri, v. g. si contrahat cum aliqua indigna, &c. & valde consentaneum est honestati ut filii non ineant matrimonium absque patris consilio, nisi fortè habeant justam causam aliter contrahendi. *ibid. num. 18. 24 & 25.*

10. Valida sunt matrimonia quæ fiunt in vitis & insciis parentibus; nam filii in hac materia sunt sui juris, Ecclesia tamen prohibuit ita celebrari. *ibid. n. 23.*

11. Prælati potest impedire matrimonium contrahendum à filio familias cum aliqua indigna, quando ex ejus celebratione prævidet grave scandalum, ac rixas inter parentes. *ibid. num. 27.*

A D D I T I O.

Quæres: An si virgo libere consentiat, stuprum dicatur. Resp. duplicem esse sententiam. Prima communis, esse stuprum, quod optimè explicat Cajet. *q. 15. art. 6.* sequitur Ar. mill Nav. Med. & Azor. *c. 11. q. 5.* Secunda sententia est multorum recentiorum, non esse scilicet speciale peccatum, nec stuprum appellandum, nisi per vim tollatur carnis integritas. Petr. Nav. *l. 2. cap. 3. n. 433.* Sot. *dist. 18. q. 2. art. 4.* Valq. *1. 2. disp. 112. n. 2.* Resp. E. si fermò sit in rigore metaphysico, & speculativo, secunda hæc sententia videtur probabilior. Ratio, quia nisi sit peculiaris injuria, non potest esse speciale peccatum Vinc. Filliucius.

Superstitio.

Vid. v. *Decalogus, Divinatio, Idololatria, Observatio vana.*
1. Superstitio est falsa religio, id est, cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito. Superstitio contingit vel ratione rei cultæ, quatenus creatura colitur cultu Dei, vel ratione modi indebiti colendi Deum; quatenus Deus colitur modo indebito, falso scilicet cultu, v. g. Judæorum, vel superfluo, ut præter Ecclesiæ usum. unde cantans in divino officio voce aut organo turpia, & vana, si hæc admisceat tamquam divini officii partem,

gem, peccat cultu falso & superfluo. tom. 2. circa primum Decalogi preceptum, disp. 3. q. 5 punct. 1. n. 1. & seq.

Suspensio.

Vide v. *Censura, Clericus.*

1. Suspensio propriè accepta est censura Ecclesiastica, qua persona Ecclesiastica impeditur, ne functiones exerceat sui beneficii, vel officii, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum vel ad tempus. Multiplex est suspensio. Alia est ab officio in totum, vel in partem: alia est poenalis, alia medicinalis: alia est temporalis, alia perpetua: alia est à jure, alia ab homine. tom. 1. de Suspensione, disp. 3. punct. 1. n. 1. & 2.

2. Judex vel Episcopus qui tulit censuram suspensionis, vel interdicti, potest ex justa causa illam suspendere ad tempus, & concedere celebranti ut tunc temporis non incurrat irregularitatem, quia censura non ligat ultra intentionem judicis. *Ibid. n. 4.*

3. Suspensio lata absolutè absque limitatione expressa vel tacita, suspendit absolutè ab omnibus, id est, ab officio & beneficio: lata verò cum expressione alicujus effectus particularis extenditur ad illum effectum, & ad ea quæ sunt illi adnexa & non alia. Quare suspensus ab ordine, non est eo ipso suspensus à jurisdictione, vel beneficio, quia ordo non est necessario adnexus jurisdictioni aut beneficio *Ibid. punct. 2. num. 1. 2. & 4.*

4. Suspensus ab ordine inferiori censetur suspensus à superiori, nisi suspensio expressis verbis restringatur ad inferiorem: & suspensus ab ordine absque alia moderatione, intelligitur suspensus à quolibet ordine, sicut suspensus absolutè ab officio nulla addita limitatione, intelligitur suspensus ab officio non tantum ordinis, sed etiam jurisdictionis: suspensus tamen simpliciter ab officio, non intelligitur suspensus à beneficio, seu fructibus beneficii. *Ibid. num. 7 & seq.*

5. Collatio beneficii facta suspensio ab officio, est invalida. *Ibid. n. 11.*

6. Suspensus à beneficio, intelligitur suspensus tantum à fructibus beneficii, seu à jure ad fructus: hinc fit ut suspensus à beneficio, teneatur adhuc persolvere onera beneficii. *Ibid. num. 12 & 13.*

7. Fructus beneficii pro tempore quo aliquis permanet suspensus à beneficio, convertendi sunt in utilitatem Ecclesie, (detractis iis qui traduntur substituto ad inserviendum,) distributiones verò pro eo tempore, quo clericus eas non lucratur, tradendæ sunt aliis clericis, qui intersunt divinis officiis. *Ibid. num. 14.*

8. Suspensus ab officio non potest sacramenta administrare: licet & suspensus ab officiis divinis non potest ea ex officio persolvere. *Ibid. num. 15 & 16.*

9. Injustè suspensus ab officio distributiones potest recipere, saltem si ante suspensionem consueverat frequentare chorum. *Ib. n. 17.*

10. Suspensio absolutè prolata absque conditione, vel limitatione temporis, durat donec auferatur per absolutionem, lata vero cum temporis determinatione durat intra tempus determinatum, & eo tempore elapso cessat. *Ibid. punct. 3. num. 1, & 2.*

11. Qui contraxit suspensionem per annum, servare debet suspensionem tot diebus quot durat annus, nempe 365 diebus, incipiendo ab eo die in quo contracta est, usque ad eundem diem sequentis anni, vel mensis, si lata sit per mensem. *Ib. n. 3. & 4.*

12. Suspensus ab officio ab aliquo Superiore est ubique suspensus, consequenter non potest alibi exercere officium, modo suspensio lata sit absque loci determinatione, & suspensus peccat mortaliter ex suo genere exercendo actum, à quo est suspensus, nisi aliunde excusetur. *Ib. punct. 4. n. 1. & 7.*

13. Cooperans & communicans cum suspensio tolerato, seu nondum denunciato in iis actibus jurisdictionis & officii, à quibus est suspensus, non peccat mortaliter, propterea petens sacramentum à Sacerdote suspensio ab officio, sed nondum denunciato non peccat. *Ib. num. 3. & 4.*

14. Suspensus ex delicto fit irregularis, violando suspensionem per exercitium solemne majoris ordinis, à quo est suspensus. Nec refert quod suspensio lata sit cum restrictione ad determinatum tempus: propterea suspensus ab ordine, efficitur irregularis benedicendo aquam, juxta solemnitatem Ecclesie. *Ibid. num. 5 & 6.*

15. Acta per suspensum qui non est nominatim denunciatus, valida sunt secus dicendum de actis nominatim denunciati, nisi adsit titulus coloratus, & error communis vulgi. *Ib. n. 7.*

Suspendio contra clericos.

16. Suspenduntur hi: Clericus aut religiosus recipiens sacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio, aut faciens pactum cum Episcopo ordinante vel presentante non petendi victu & alimenta aut provisionem: Recipiens ordines extra constituta tempora, vel ante legitimam aetatem, vel sine litteris dimissoriis (non comprehenditur tamen recipiens ordines non servatis interstitiis.) *Ibid. punct. 5. §. 1. n. 1. 2. & 3.*

17. Recipiens duos ordines sacros eodem die, aut minores ordines cum Subdiaconatu, vel duos ordines sacros duobus diebus continuis sine dispensatione: Recipiens sacros ordines cum litteris dimissoriis a capitulo receptis, vacante Episcopatu, nec occasione beneficii accepti recipiendive arctatus: Recipiens ordinem per saltum: Recipiens ordines ab Episcopo excommunicato, aut interdicto denunciato, seu vitando, vel a simoniaco per sententiam declarato: Recipiens ordines ab Episcopo qui Episcopatu tenentiavit, hoc est, jurisdictioni & officio Episcopi: Recipiens ordinem scienter per simoniam, aut in excommunicatione (non tamen recipiens primam tonsuram vel Episcopatum in excommunicatione est suspensus, cum non sit ordo) Recipiens ordines furtive, aut post matrimonium contractum etiam non consummatum, nisi cum bona fides excuset: Item celebrans Missam nec in ea communicans: Celebrantes vel celebrari facientes in locis interdictis a jure vel ab homine: Præsumens sine gravi causa Missam incompletam omittere: Clerici, etiam exempti, aut religiosi admittentes ad sacramenta, &c. publice excommunicatos denunciatos, vel interdictos: Admittentes manifestos usurarios ad communicationem altaris, Ecclesiasticam sepulturam, &c. Sacerdos tam regularis quam secularis conjungens in matrimonium, vel benedicens subditos alterius parochie sine licentia: Beneficiarius publice & absque rationabili causa partita, vel virgata veste utens; hic enim suspensus est per sex menses à recipiendis fructibus beneficiorum. *Ibid. n. 4. & seq. Item*

18. Clericus præsumens commissas sibi Ecclesias alienis debitis gravare, aut litteras, vel sigilla alteri concedere quibus possit obligari, suspenditur ab administratione temporalium & spiritualium: præterea occupantes bona Cathedralis, Regni

laris, aut collegiata Ecclesiæ, spectantis ad Prælatum defunctum, vel ad Sedem, vel ad successorem, Episcopatu vacante, Compromissarius eligens indignum in Episcopum, superioremve dignitatem: Eligentes indignos ad Episcopatum, vel ad beneficia inferiora animarum curam habentia: Impugnantes alicujus electionem, vel postulationem, & postea in probatione deficientes, id est, objicientes id, quod postea probare non possunt. *Ibid. n. 23. & seq.*

19. Episcoporum electores infra octo dies postquam commodè potuerint præsentationem electo culpabiliter præsentare, negligentes, à beneficiis suspenduntur. Item præsumentes ad Ecclesiasticam præbendam aliquem eligere sæcularis potestatis abusu, seu interventu & auctoritate Principis sæcularis nullum jus habentis circa ejusmodi electionem. Similiter conferentes, vel recipientes illorum beneficia, qui pro suis negotiis Romanam Curiam adierunt, aut aliqua negotia in ea exercent: Conservatoris munus exercentes, qui se scienter de aliis intromittunt, quam de manifestis injuriis, aut de illis quæ judicalem indaginem non requirunt: Judex Ecclesiasticus non Episcopus faciens injuriam contra justitiam & conscientiam parti litiganti. *Ib. num. 28. & seq.*

20. Judex excommunicationis sententiam sine scriptis, aut sine causæ expressione ferens, vel requisitus scripturæ copiam intra mensem non tradens, ab ingressu Ecclesiæ suspenditur. Eadem censura ligatur ferens censuram excommunicationis sine monitione & testibus. *Ibid. num. 33 & 34.*

21. Visitatores Episcopis inferiores pecuniam vel munera in visitatione recipientes suspenduntur. *Ibid. n. 38. Item*

22. Præsumentes in populari concione in alterutram partem de conceptione B Mariæ Virginis disputare, aut de hac ipsa questione, sub quovis prætextu vulgari lingua scribere, &c. aut in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, &c. asserere audentes Beatissimam Virginem cum originali conceptam fuisse, suspenduntur. Gregorius XV. per Bullam quæ incipit, *Santissimus D. N. post longam*, non solum de præfata questione in actionibus publicis agere, verum etiam privatim quidquam in contrarium asserere prohibuit. *Ibid. num. 36 & 37.*

23. Jurantes sponte de tenendo schismate, suspensione quoque ligantur. *Ibid. n. 38. Sicuti &*

24. Notorius ac publicus concubinarius; item publicus

peccator, vel Sodomita jure antiquo totalem suspensionem incurrebant, non tamen est expressum in jure novo. *lb. n. 37.*

Suspensio contra Episcopos.

25. Suspenduntur Episcopi, Abbates, & Prælati religionum à Sede Apostolica promoti, sine litteris authenticis ejusdem Sedis suarum Ecclesiarum administrationem recipientes. *ibid. §. 2. num. 2.*

26. Episcopus aut alius Episcopo superior qui ab excommunicatis, suspensis, &c. consecrationem accipit, suspensus remanet. Item Episcopus *Extrav. 2. de delect.* Joannis XXII. quoad fructuum perceptionem primi vel secundi anni sui Episcopatus, non servans. *ibid. num. 2. & 3.*

27. Conferens & ordines vel tonsuram, extraneo sine licentia sui Episcopi, suspensionem incurrit; & hoc valet etiam in minoribus respectu ordinati *Ibid. num. 4.* Præterea hi omnes suspensionem incurunt: videlicet

28. Ordinans in aliena diœcesi absque expressa licentia ordinarii, vel de licentia, personas non subditas: Ordinans religiosum non professum, seu qui votum solum temporale fecit: Ordinans Monachum sine licentia Abbatis, aut bigamum, vel eum qui facit pœnitentiam publicam: Ordinans injustè invitum, vel Sacerdotem indignum: Conferens tonsuram illiterato, id est, nescienti legere & scribere, vel infanti qui nondum complevit septennium: Conferens duos ordines sacros eodem die, vel duobus diebus immediatis: Conferens Sacerdotium indigno, aut ab illo ordine suspensio: Conferens simoniacè ordines, vel cum pacto, ut ordinatus non petat alimenta: Confirmans & consecrans jam electum in Episcopum, postquam ad Sedem Apostolicam fuit appellatum: Episcopus qui debitam diligentiam non adhibet circa electum ad curam animarum: Episcopus aut alius beneficiorum collator beneficii resignationem contra præscriptum Bullæ Pii V. admitteus: Episcopus accipiens aliquid in visitatione, in pecunia, &c. ultra id quod sibi debetur, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ donec duplum restituat, non obstante quavis remissione: Extenditur etiam ad alios visitatores Ecclesiarum, & restringitur ad visitantes ordinario jure: Extenditur iterum ad religiosos, præcisè ipsorum statutis, &c. Episcopus, aut etiam Cardinalis indigem casuum, grâtiarum & indulgentiarum cer-

to soluto pretio proponens : Episcopus, Commissarius, vel Delegatus, &c. qui per gratiam, timorem, aut sordes in detrimentum Ecclesiæ sibi commissa potestate utuntur; Episcopi abutentes officio Inquisitorum in causis fidei. *Ibid.* num. 3. & seq.

29. Episcopi aliique Prælati procurantes ut clerici capiantur à dominis temporalibus, ut beneficia resignent, vel citati ad Apostolicam Sedem accedere nequeant, à fructibus suarum Ecclesiarum suspenduntur. (Extenditur ad Episcopos qui simul sunt domini temporales & Episcopi) Episcopus relaxans poenam contentam in cap. pessimam. *Ibid.* n. 24. & seq. Item

30. Episcopus alienans bona Ecclesiarum, monasteriorum, &c. absque licentia Summi Pontificis, suspensionem incurrit. Idem dic de Abbatibus. Item Episcopus bona Ecclesiarum sibi commissarum sine Capituli consensu, & Sedis Apostolicæ facultate laicis subjiciens, ab officio simpliciter, & administratione rerum spiritualium, & temporalium Ecclesiæ gravatæ suspenditur. *Ibid.* n. 27. & 28.

31. Episcopus ingrediens monasteria monialium sine necessitate, primâ vicè suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, secundâ à divinis, tertiâ excommunicatur. *Ibid.* nu. 29.

32. Episcopus Apostolorum limina non visitans singulis tribus annis, secluso legitimo impedimento suspensionem incurrit: datur tamen longius tempus Gallis, Germanis & remotioribus. *Ibid.* n. 30. & 31.

33. Episcopus permittens usurarios publicos alienigenas conducere domos in suis terris ad exercendum scœnus, suspenditur. Item & Episcopus qui post Concilium Provinciale infra sex menses clerum non convocat, aut qui contra simoniacos procedere negligit. Eadem de causa alii Episcopi inferiores id permittentes, excommunicantur; communicati autem interdiciuntur. *Ibid.* n. 32. & seq.

Suspensiones contra Conventus & Capitula.

34. Suspenduntur Capitula Ecclesiæ, vel monasterii, quæ Episcopum aut Prælatum religiosum à Sede Apostolica provisum, sine litteris ejusdem Sedis recipiunt, aut illi obediunt: Capitula & Collegia, quæ Sede Cathedrali, Collegiata vel regulari vacante occupant bona ad Prælatum defunctum, vel ad

ad ipsam Ecclesiam pertinentia: Capitula, & Conventus, qui aliquid directè vel indirectè accipiunt ob receptionem alicujus in religionem aut post illum. Moniales tamen conventionem de dote facientes nulli pœnæ subjacent. *Ibid.* §. 3. n. 1. & seq.

35. Suspenduntur Capitula, singulæve personæ beneficiorum resignationem extra casus & formam Bullæ Pii V. *Quantum ad Ecclesiâ*, admittentes. *Ibid.* n. 15.

Suspensiones contra Religiosos.

36. Suspenduntur Conventus & Capitula aliquid in receptione alicujus in religionem petentia: religiosi tamen non incurrunt censuras in clericos simpliciter latis, quia religiosi simpliciter non dicuntur clerici. *Ibid.* §. 4. num. 1.

37. Prælati Prædicatorum Minorum mendicantium admittens aliquem ad probationem nondum expleto professionis anno, suspensionem incurrit. *Ibid.* n. 2.

38. Item suspenduntur religiosi qui ad sacros ordines nondum professione facta promoventur. *Ibid.* n. 3.

39. Suspenditur quoque Apostata sacrum ordinem in apostasia recipiens. Idem militat in eo, qui ad aliam religionem invalidè transit, & in ea sacros ordines recipit. *Ibid.* n. 4.

40. Religiosi quicumque monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis præsidentes, &c. & jura, redditus, vel possessiones eorundem monasteriorum, &c. alicui quovis modo concedentes, &c. pecunia etiam inde recepta, suspenduntur, & invalida est concessio. *Ibid.* n. 5.

41. Gravantes, seu defraudantes Ecclesias circa decimas eis debitas, easque sine causa, vel privilegio sibi usurpare præsumentes, suspensione ligantur, donec destiterint & satisfecerint. *Ibid.* num. 6.

42. Suspenduntur fratres Ordinis Prædicatorum non reddentes ordini libros, & alia quæ habent, cum ad Episcopatum aliasve Prælaturas promoventur. Prælati quoque religiosorum, ad quos occasione prohibitorum excessuum à suis subditis commissorum aliquid quoquo modo pervenerit: hi autem excessus sunt: retrahere testantem à legatis faciendis Ecclesiis matricibus; retrahere testatorem à debitis restituendis; & procurare vel legata, debita, vel malè ablata, incerta dentur sibi aut aliis singularibus personis ordinis sui in præjudicium aliorum quibus debentur. *Ibid.* n. 7. & seq.

43. Præ

43. Prælati religiosorum non satisfacientes Prælato de damno à suis subditis in concione indiscreta illato, suspensi remanent. Item Confessarii qui requisiti pœnitentibus sibi confitentibus conscientiam de solvendis decimis scienter facere prætermittunt, suspensionem contrahunt. Similiter & Abbates aut alii quicumque licet exempti litteras dimissorias aliis quam suis regularibus subditis concedentes, suspensioni subjacent. Item concedentes dimissorias vel ordines novitio nondum expleto probationis anno. *Ibid. n. 19. & seq.*

44. Suspenditur monachus niger S. Benedicti, habitu & vestitu, juxta præscriptam formam, non utens. Item monachi aucupationi aut venationi clamorose ex proposito intereludentes, suspensi remanent. *Ibid. n. 14. & 15.*

45. Fratres Prædicatores Inquisitoris officium à Minoribus Fratribus exercitum perturbare præsumentes, suspensionem incurrunt, & è contra. Item & religiosi conjungentes in matrimonium, vel benedicentes sponso alienæ patriæ absque Parochi facultate; aut præsumentes introducere mulieres in monasterio. *Ibid. n. 16. & seq.*

Absolutio à suspensione.

46. Suspensio lata ad tempus, eo tempore lapsa, cessat absque alia absoluteione. sicut etiam suspensio lata cum particula, donec satisfeceris, exhibita satisfactione. *Ibid. punct. ult. n. 1.*

47. Non sunt determinata aliqua verba ad absolvendum à suspensione: nec est necessarium in absoluteione explicare causam, ob quam contracta est suspensio, petendum est tamen juramentum in delictis gravibus obediendi Ecclesiæ. *Ibid. num. 2. & seq.*

48. Episcopus potest absolvere suos subditos à suspensione Papæ reservata vel perpetua, modo proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum. Adverte tamen suspensionem latam in puram pœnam pro delicto præterito, auferri non posse ab ordinario, aut ab alio inferiore; auferitur enim per dispensationem, quæ non datur ab inferiore eo qui eam tulit. *Ibid. num. 5 & 6.*

A D D I T I O.

De suspensione multa Navar. à num. 151 cap. 27. Felician. Epi-

Episcop. Scal. de censur. Cop. in clem. si furiosus. Sot. d. 22. q. 3.
Val. t. 4. d. 7. c. 18. p. 1. Say. lib. 4. Tol. lib. 1. cap. 42. Summistæ v.
Suspensio.

Suspensionis sententia, ejusque effectus per sequentem ap-
pellationem minime suspenditur, quia censura Ecclesiastica
executionem secum trahit, ut dicitur in cap. pastoralis. §. ve-
rum. de appel. Et c. is qui. de sens. excom. in 6. Vgol. de cens. Eccl.
lib. 4. c. 5. §. 1.

Suspensio capitulo, vel conventu, non censetur singuli su-
spensi, nisi sint in culpa.

Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere à su-
spensione non reservata, & religiosi possunt absolvere à su-
spensione in foro conscientie, quantum iis per privilegia
conceditur, & regulariter potest Episcopus ab omni juris su-
spensione lata ob contumaciam, & à nonnullis aliis, ut expli-
cat, & limitat Syl. v. suspensio. n. 8. Armill. n. 22. & etiam statuta
synodalis à Papa confirmati, nisi Papæ specialiter referentur,
ut notat Nav. c. 27. n. 162.

Qui possit absolvere à suspensione, docet Syl. n. 8. Say. c. 17.
De suspensio ipso jure, Fum. n. 16. Syl. n. 6. Nav. n. 133. Say. c.
12. 13. 14. 15. d. c. vid. etiam Ser. d. 25. q. 1. art. 3.

Quæres: Quibus casibus sit suspensus iudex Ecclesiasticus.
Resp. his ferè casibus suspensus esse, vel incurrere suspensio-
nem, primo, Si ferat sententiam excommunicationis, non
præmissa trina admonitione, coram idoneis testibus, 2. Si sen-
tentiam excommunicationis, interdictive ferat, non expressa
causa, ob quam fertur. Suspensus autem est ab Ecclesiæ in-
gressu, 3. Si contra conscientiam, & justitiam in iudicio aliquid
facit per gratiam, vel sortes in gravamen partis alterius. Et est
per annum suspensus. Bufæus.

Quæres: Quibus casibus sint Episcopi suspensi. Respond.
Variis casibus in jure suspensos esse, 1. Ratione collationis or-
dinum suspensus est Episcopus, ordinans clericum alienum
sine consensu, vel literis dimissoriis proprii Episcopi, 2. or-
dinans in aliena diœcesi, sine Episcopi licentia, vel cum licen-
tia ordinans illi Episcopo non subiectum, 3. ordinans indi-
gnos, 4. conferens primam tonsuram infanti illiterato, aut
conjugato, 5. conferens eodem die, aut continuis duobus die-
bus ordines duos majores, 6. ordinans invitum, nisi talis co-
gatur ob beneficium, quod habet, suscipere ordines. Resp. 2.
Ratione collationis beneficiorum suspensus esse Episcopum.

1 Si confirmet indignum in praelatum, indignus autem est aetate, scientia, probitate. 2. si usurpet bona praelatorum monachorum, quo modo etiam capitula, & collegia etiam Canonorum suspensa sunt. 3 Si conferat beneficia curata indignis id est, qui per se residere, & curam agere non possunt. 4. Si submitat bona Ecclesiastica personis laicis absque capituli consensu, & Apostolicae sedis licentia. 5. Si sciens clericos suos simoniam committere, eos non castiget debita poena. 6. Si cognoscat carnaliter mulierem, quam ante Episcopatum concubinam habuit. Busæus.

Quæres: An Collegia, Capitula, & conventus aliquando suspendantur Resp. Suspendos esse clericos, 1. capitulum inter Episcopum eligentes indignum, quoad aetatem, scientiam, & probitatem. 2. Obiicientes contra electum Episcopum, & in probatione deficientes. 3. omnes, qui defuncto Prælate, Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatae, occupant, & inter se dividunt, vel surripiunt bona, à Prælate relicta, vel vacationis specie obvenerint, suspenduntur autem ab officio, & omnibus beneficiis usque ad plenam restitutionem eorum quædam bonis acceperunt. 4. concedentes litteras dimissorias, contra formam juris Conc. Trid. Hæc Busæus.

A D D I T I O.

Sustentatio.

Per sustentationem, ejusque nomine intelligitur victus, victus, & alia vitæ humanæ necessaria, secundum cuiusque habitum, ut bene dicit Cajet. *art. 30 q. 100.* Notandum tamen, clericos non debere principaliter respicere ad illam sustentationem, ut docet Ang. *in lib. de pastor. c. 2.* unde à peccato non excusantur, qui idè tantum ordinari cupiunt, ut habeant ad victum necessaria. Imò S. Tho. putat esse simoniam, quando quis accedit tantum templum, quia distributiones & præsentia dantur, sed hoc explicat Soto *lib. 9. q. 6. art. 2.* tantum esse simoniam, quando intentio clerici est, quasi emere distributionem, vel victum temporalem, Ecclesiastico officio, si autem distributiones sint tantum causa motiva, non esse simoniam. Not. 3. posse hanc sustentationem, vel ejus partes deduci in pactum à quolibet, sive dives sit, sive pauper, qui spiritualia ministrat. Ratio est, quia ex justitia, secundum Apostolum, debent

debentur temporalia ministranti spiritualia. Quamvis ob scandalum, & suspitionem simoniae, talia pacta prohibentur in Jure, ut patet ex *can. quod pio. 1 q 2* & *can. pactioes tunc de pact.* licet tamen post spiritualia administrata petere debirant sustentationem, ut si forte neget, cogat superiores ad illam dandam, ut S. Tho & Cajet. docent. Imo addit Cajet. quod qui evidenter patiuntur necessitatem, non obstante jure Canon. possunt facere pactam, antequam spiritualia administrant, quia in talibus cessat ratio scandali. Haec Busaeus.

Quaeres: In quo consistat sufficiens illa & honesta sustentatio clerici. Resp. Illam pendere ex judicio boni & prudentis viri, eo quod haec res de judicari non possit, nisi ex multis circumstantiis. Est enim regula juris, Determinationem rerum, quae indeterminatae statuuntur a jure, pendere a judicio viri boni. Resp. 2. sustentationem ipsam per se, non requirere solum, ut clericus habeat solum necessaria ad victum & vestitum, & habitationem, sed etiam pro familia, quam alere debet, deinde, ut aliquando hospites excipere, amicos moderato convivio tractare, munuscula usitata donare, & pauperes tam domesticos quam externos elemosyna juvare possit, sic ut sit extra omnem avaritiae suspitionem, ut docet Nav. *l. e man 8. de gl. in c. addo. tit. de rescript.* Resp. 3. Eandem sustentationem non consistere in indivisibili, sed habere quandam latitudinem, ut habent praeria rerum, in emptione & venditione, ut videlicet sumptus sint iustissimi, mediis summi, v. g. si sumptus annuus clerici sit 200 flo. medius sit 250. summus vero 300. ac proinde sustentatio sufficiens ad summum est 300. florenorum. Resp. 4. Praeter haec, ut vere honesta sit sustentatio, considerandam esse qualitatem personarum: ut si clericus sit nobilis, doctus, praelatus, de Ecclesia bene meritus. 2. conditionem temporis, num fructus agrorum vel vinearum eo anno bene provenerint, num sit bellum, pestis, caritas annonae. 3. qualitatem reddituum, qui enim pinguius habet beneficium, honestius quoque debet se ex eo quam alii sustentare. Busaeus

Quaeres: Quantum in particulari quilibet clericus, ratione sui status requirat ad sui sustentationem. Respond. Nav. *in lib. de orat. c. 22. n. 71.* simplici clerico sufficientem illam judicare sustentationem, unde se, unum famulum, & coquum alere possit, & honestam habitationem conducere. Simpliciter vero nobili, vel doctori simplici, illam esse sufficientem, unde se, & duos famulos, equum & coquum alere possit, & conducere

habitationem paulò honestiorem. Doctori verò excellenti, & filio Baronis, sufficientem esse sustentationem, si se, & quatuor famulos, unum equum, & coquum alere possit, & conducere domum honestiorem. De majoribus Prælati; Decanis, Pæpoficis, filiis Principum, relinquatur aliis judicandum, hæc Busæus.

Susurratio.

Vide v. *Detraçtio, Contumelia.*

I. Susurratio est peccatum linguæ, quo quis manifestat alterius defectum ad seminandas discordias inter amicos. Est peccatum mortale ex suo genere contra justitiam, continens aliquando plures malitias necessario explicandas in confessione, ut quando susurro malum, refert ad seminandas discordias inter duos conjuges, ut inde facilius occasionem arripiat adulterandi cum altero. Aliquando etiam susurratio excusari potest à peccato mortali ratione indeliberationis & inadvertentiæ; vel quando quis manifestat alterius defectum ad dissolvendam perniciosam & periculofam amicitiam, v.g. concubinariorum, nullo intercedente mendacio. Ex susurratione confargit obligatio restituendi, ut per se patet *tom. 2. de restitutione particulari disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 1. & seq. item punct. 2. num. 1. & seq.*

T.

Tentatio Dei.

I. **T**entatio Dei est actus contra religionem, quo quis absque justa causa aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum de divina perfectione, ex. g. de potentia, de sapientia Dei, &c. ut si imperitus velit absque justa causa concionari nulla prævia meditatione, seu præparatione, sperans sibi à Deo suggerendos conceptus, & hæc tentatio Dei manifestanda est in confessione, exprimendumque an fuerit tacita vel expressa. *tom. 2. circa primum Decalogi præceptum, disp. 3. quæst. 9. punct. unic. n. 1. & seq.*

2. Committitur autem peccatum tentationis Dei, quando experimentum conjunctum est cum aperto gravis damni pe-